
QUIRIN
RIVIN
CHEMIA









Table

Theodorus Baron Regiæ Scientiarum Academiæ Socius et Doctor Medicus Parisiensis, Censor Regius.

Index Capitum.

D. AUG. QUIRINI RIVINI,

Patholog. atque Bot. Profeſſ. Publ.
in Academia Lipſienſi,

MANVDVCTIO
ad
CHEMIAM
PHARMACEVTICAM.

Et

JOH. FRANCISCI VIGANI,
Veronenſis

MEDVLLA
CHYMIÆ

Variis Experimentis aucta, multisque
Figuris illuſtrata.

Cum Indice Rerum & Verborum locupletisſimo.

Accedit

CHYMIA CURIOSA

Variis,
Non Solum ex Regno Vegetabili, ſed etiam
ex Minerali, & Animali, Experimentis
Adornata.


Cura
FRIDERICI ROTH-SCHOLTZII!

Norimbergæ,
Apud Hæredes *JO. DAN. TAUBERI,*
M D C C XVIII.

Les Nos 61 à 64 sont déficit.
Collationné le 2[illegible] juillet 18[illegible]



J. D.



DUm Artem eam, quæ medicamentorum præparationem Chemicam docet, aggredior, atque in Tyronum gratiam Compendium meditor facile, sufficiens tamen ad legitima Chemiæ fundamentaritè addiscenda; non alia æquè commoda occurrit methodus, quàm si cuncta synthetice tradantur. Nec enim mihi propositum est, singula examinare velle, analysi magis Physicâ quàm Medica; sed id potius intendo, ut monstrem, quomodo ex convenienti materia remedium parari

queat, ægrotis utile Medicoque dignum. Itaque duodecim in universum capita sufficere poterunt, quorum primum aquas destillatas, secundum olea, tertium spiritus ardentes, quartum spiritus acidos, quintum Spiritus urinosos & salia volatilia, sextum salia fixa, septimum salia essentialia & salsa, octavum tincturas & essentias, nonum extracta, decimum flores & sublimata, undecimum magisteria & præcipitata, duodecimum feculas atque calcinata præparare docebit.

CAP.

CAP. I.

De
Aquis destillatis.

§. 1.

SI quis aquas destillatas examinat, quarum longè supra bis centum numerantur in Officinis nostris, eum latere haud potest, paucissimas utiles, plerasque supervacaneas esse, si non ex toto ineptas, adeoqve magis ad amplificandum Pharmacopœæ ornatum, quam ægri usum comparatas. Nam & annus prælabitur non unus, quo nemo inter Medicos, puta politiores, ne quidem cogitat de aqua altheæ atque malvæ, centumnodii, ebuli, herniariæ, lapathi, mercurialis, nicotianæ, nummulariæ, parietariæ, persicariæ, scrophulariæ, senecionis, squammariæ, vermicularis, urticæ, &c.

§. 2. Neque adeo aberrabit Pharmacopœus, si quando loco aquarum in genere omnium refrigerantium, minus odoratarum, insipidarum, fatuarumqve fontanam substituat, aut potius destillatam tonitrualem, ni-

valem, roremve majalem, pro iis videlicet, qui cruditatem aquæ non coctæ abhorrent, vel etiam spiritu saleque delectantur universali. Inter ceteras qui præstantiores eligere velit, paucissimis certe analepticis, sudoriferis, aperitivis, anodynis &c. contentus esse poterit, præsertim cum non tam expetantur propter se, quam propter aliud, scilicet ut pro vehiculo inserviant aliis medicamentis vel assumendis vel exterius applicandis.

§. 3. Quandoquidem igitur satius est, paucas utiliores parasse aquas, quam quibusvis etiam ineptis non ornasse, sed onerasse officinam, non abs re fore arbitror, si modum ritè parandi ejusmodi aquas recenseam. Et quanquam hæ ipsæ tanti non videantur momenti, certum tamen est, tota die etiamnum in earum destillatione aberrari, ut metuendum sit, ne in difficilioribus plane deficiat, qvod in levioribus hæsitat judicium.

§. 4. Peccatur autem in eo maximè, qvod promiscue qvævis, inodora & insipida recipiantur non modo ad destillationem aquarum simplicium, sed & compositarum, cum tamen certum sit, nil quicquam medicamentosi ex ejusmodi materia per illam destillationem haberi posse. Quid enim, quæso, bolus Armena, terra sigillata & Lemnia sibi volunt? quando e balneo Mariæ destillanda est aqua

cordia-

cordialis frigida Herculis Saxoniæ. Quid margaritæ, cornu cervi, offa de corde cervi, atque lapides percarum in aqua carbunculi? quid hirundines in aqua antapoplectica? quid vituli pulmones in antiphthifica? atque sic porro.

§. 5. Equidem jamjam intelligo, aquas modo nominatas adhuc satis usitatas ac utiles esse; nimirum quatenus ab ingredientibus laudabilibus alia occultantur ignava. Quid enim opus est tanto apparatu, addendisque floribus liliorum convallium, lavendulæ, rorismarini, rosarum? &c. si quæ vera virtus est hirundinum vel picarum adversus apoplexiam, vel epilepsiam. Verendum autem, ne inde parata simplex aqua plane eadem sit cum quavis simplicissima.

§. 6. Quanquam enim alias per ignem e partibus animalium habeatur sal volatile satis potens, e terra sigillata similibusque liquor acidulus; frustra tamen operabitur, qui affusa aqua per vesicam tale quid expellere tentabit. Ridiculum autem est e vivis adhuc pullis spiritum colligere velle vivificum, destillationem in balneo vaporoso instituendo; quasi vero spiritus ille vitalis hirundinum, picarum, turturum, cornicum, ciconiarum, atque catellorum instar muscarum capi, aut a sale quodam fixo vere figi queat.

§. 7. Itaque ut paucis rem omnem complectar, vanum est ex animalibus parare aquas, e mineralibus admodum difficile; neque ulla nos urget ratio, propter quam adeo anxie animantium sperma stercusque colligere, aut etiam lapidibus minerisque destillandis insudare velimus, cum vel solæ plantæ plus satis sufficiant.

§. 8. Nimirum si ea saltem seligamus e plantis, quæ magis volatilia & odorata sunt, sive integræ fuerint herbæ, sive radices tantum, cortices aut ligna, sive folia, flores, semina, fructusve, non deerit certe materia conveniens, unde aquæ destillari queant magis efficaces, e. gr. pro scopo analeptico recipimus fragrantiora illa aromatica, *flores lavendulæ, rorismarini, salviæ, liliorum convallium, herbam serpilli, thymi, majoranæ, origani, ocimi, menthæ atque melissæ, cardamomum, cubebas, cinnamomum, cortices citri & aurantiorum, sassafras &c.* Si minus acrem desideras aquam, recipe *flores rosarum, violarum, tunicæ, primulæ veris, keyri, liliorum alborum, pœoniæ, caprifolii, citri, aurantiorum, tiliæ cum santalo citrino.* Ad aquam diaphoreticam pro scopo resolvendi vel expellendi sumamus *flores sambuci, ulmariæ, calendulæ, chamomillæ Romanæ & nostratis, herbam centaurii minoris, scordii cum radice Imperatoriæ, levistici, angelicæ, petasitis &c.* Ad

aquam

aquam diureticam, vel in genere aperitivam recipe *baccas juniperi, semen anisi & fœniculi, flores pruni sylvestris, herbam abrotani, chærefolii, petroselini, hederæ terrestris, chamæpityos, artemisiæ, veronicæ, pulegii, rutæ, nasturtii, cochleariæ, radicem armoraciæ &c.* Ad aquam anodynam, *flores papaveris errat & nymphææ, crocum, semen anethi & coriandri, herbam paridis, solani &c.*

§. 9. Antequam vero destillatio horum simplicium instituatur, præmitti potest quædam eorum præparatio, ita ut, si res exigat & materia sit minus succulenta vel durior, affundatur aqua sufficiens, & digeratur, donec per macerationem emollita fuerit. Neque inconsultum est, loco aquæ communis vinum affundere aut spiritum vini, si quæ plantæ admodum oleosæ vel resinosæ recipiantur; nam & similem aquam spirituosam impetramus, si, quæ idonea sunt, per aliquot dies seponantur ad fermentationem.

§. 10. Immittitur postea destillandum in vesicam cupream, quousque illius duæ ferme tertiæ repleantur; si minor ejus habeatur quantitas, loco vesicæ cucurbita recipiatur humilior, vel retorta vitrea, atque tum ex arena vel balneo destillationem absolvimus. Qui vero circa delicatiores aquas curiosior est, ei non displicebit balneum va-

porosum ZWELFERI, ita enim nec admisceri debet aqua communis, nec empyrevma metuendum est, prout in vulgari aquarum destillatione.

§. 11. Sufficit autem paucissimus ignis, si per vesicam destillemus, atque ut magis clara per rostrum prodeat aqua, sæpius renovare oportet refrigerium. Adhæc in vesica vel arena nullatenus licet humiditatem omnem abstrahere, prout in balneo maris vel vaporis; satius est ergo ad evitandam adustionem, tantum aquæ vinive affundi, ut vires ingredientium abstrahi queant, ante, quam medietas affusi liquoris in recipiente appareat.

§. 12. Tutissimum hoc in negotio est sensuum testimonium; quamprimum enim aqua deprehenditur insipida ac inodora, cessandum est ab operatione, nisi quod exemto residuo, si materia suppetat, immitti recens iterumque destillari possit. Præterea non contemnendus labor est, si quis aquam jam destillatam altera tertiaque vice reaffundere simili plantæ rursusque abstrahere velit, siquidem & hoc pacto non parum ejusdem virtus exaltabitur.

CAP.

CAP. II.

De
Oleis destillatis.

§. 1.

QUæ in officinis asservantur olea, alia quidem dicuntur proprie talia, alia improprie. Hujus generis sunt liquores varii per deliquium facti, oleum tartari per deliquium, perlarum, coralliorum, & lapidem concrorum. Sed proprie talia non tantum destillata sunt, sed & plura vel simpliciter expressa, vel infusa rebus aliis ideoque composita. Expressa sunt *oleum olivarum*, *lini*, *raporum*, *amygdalarum dulcium & amararum*, *nucleorum persicorum*, *nucis juglandis & avellanarum*, *seminis papaveris albi*, *hyoscyami*, *erucæ &c.* circa quarum præparationem nihil aliud notatu dignum occurrit, quam quod semina istiusmodi oleosa, si haberi possunt, recentissima, excortiata, incisa & contusa sub prælo fortiter exprimenda sint.

§. 2. Infusa fiunt, quando expresso, e. g. quod usitatissimum est, oleo communi immerguntur extrahenda. Sed hæc ipsa vel molliora sunt aut suaveolentia, uti *flores hyperici, verbasci, liliorum alborum*, *rosarum*, *violarum*,

rum, *keyri*, *item menthæ*, *abrotani*, *chamomillæ*, *rutæ* &c. Atque tunc satis est, si in clauso vase asserventur cum affuso sufficienti oleo, aut etiam per aliquot dies radiis exponantur solaribus: vel duriora sunt ac minus odorata, quæ si coctionem non requirunt, tolerant tamen minore cum jactura virium; v. g. *radix Aristolochiæ rotundæ*, *gentianæ*, *atque* capparum recte coquuntur in oleo amygdalarum amararum ad parandum oleum scorpionum compositum, item in aliis costus, absinthium, pyrethrum, euphorbium &c.

§. 3. Verum missis expressis infusisque hic loci saltem de oleis destillatis sermo erit. His vero materiam non vegetabile saltem, sed & animale atque minerale regnum præbet. Et quandoquidem oleum non nisi solutum sulphur est, satis apparet, sulphurea in universum omnia & inflammibilia ad oleorum destillationem fore idonea, e contra quæ flammam non concipiunt, uti saxa & metalla, omnino inutilia. Nihilominus sciendum, dari etiam quædam sulphurea, e quibus oleum per se destillari æque commode non potest, saltem quod fluidum illud, sulphuri solvendo aptum, non adsit, quemadmodum in sulphure communi, arsenico, camphora, aliisque videre licet.

§. 4. Abundant autem oleo in regno animali

mali *cera & mel, butyrum & pinguedo*, nec destituuntur eo *cornua, dentes ac ossa reliqua:* paucissimum est in *carne, sanguine, bile atque urina*. Sed longe major oleorum numerus e regno vegetabili officinas ingreditur; siquidem plurima sunt, quæ parantur e plantis fragrantioribus, *mentha, lavendula, origano, majorana, thymo, serpillo, melissa, pulegio, salvia, chamomilla vulgari & Romana, ruta &c. ex seminibus anisi, feniculi, baccis juniperi, nuce moschata & mace, caryophyllis*, ex *corticibus citri & aurantiorum*, ex *radice angelicæ, calami aromatici, & zedoariæ*, ex *ligno coryli, rhodio*, e *cinnamomo, item mastiche, olibano, terebinthina &c.* E regno minerali vix quicquam occurrit præter *succinum*.

§. 5. Quemadmodum vero hæc ipsa concreta inter se multum discrepant, ita & modus procedendi ut olea præbeant, variat insigniter. Nimirum quæ durissima sunt, uti cornu cervi, ebur, lignum coryli &c. ea saltim fracta retortæ committuntur terreæ, atque sic ab igne nudo paucas intra horas oleum expellitur omne, a reliquo destillato non difficulter separandum, si modo in chartam bibulam simul infundatur, ut post transitum ejus, quod aquosum est, oleum reservetur in filtro.

§. 6. Quæ magis sulphurea sunt uti succinum, cera, butyrum, mastiche, terebinthina &c. cum

&c. cum ignem nudum non tolerent, per retortam vitream ex arena destillari possunt. Interim tamen ne sic quidem satis tuto procedimus, si solitarie destillentur, siquidem succinum, si ignis gradus parumper intendatur, vasa disjicit, mastiche, mel, butyrum &c. in spumam attolluntur, atque in vas recipiens facile effusa irritum reddunt laborem. Itaque non male iis duplum aut etiam triplum arenæ vel salis addimus, ut ab admixtis quodammodo coerceatur eorundem impetus.

§. 7. Reliquas vegetabilium partes (exceptis resinis) per vesicam ordinarie destillamus ad eundem plane modum, quo aquæ solent. Videlicet præmissa incisione vel contusione affunditur aqua satis copiosa, & si durius fuerit ingrediens, per noctem & ultra, si lubet, maceratur, cavendo tamen fermentationem, siquidem tantum semper decedit oleo, quantum accedit spiritu ardenti. Quo largior autem affusa erit aqua, hoc felicius succedit operatio, hoc facilius evitari potest empyreuma, præsertim si rite in simul refrigerium, nunquam negligendum, observetur.

§. 8. Colliguntur autem hac ratione olea omnium suavissima, quæ nulla quidem rectificatione opus habent, prout illa fœtentia cumprimis per retortam terream igne nudo parata. Ut enim oleum v. gr. cornu cervi,

tarta-

tartari, vel etiam ſuccini clariora evadant, & quadantenus ab intolerabili fœtore liberentur, optimum eſt, ſi per retortam abſtrahuntur ab oſſibus uſtis, vel cineribus, aut ſaltem aqua communi largius affuſa. Nec omnino vana eſt Glauberi methodus, qui uti ſpiritum ſalis aromatibus deſtillandis affundit, ita & olea jamjam deſtillata, ſi gravem odorem ſpirent, eodem pacto cum ſpiritu ſalis rectificat; vereor autem, ne iſtiusmodi proceſſus ſit magis curioſus quam lucroſus: ut taceam ab acido ſpiritu non-parum enervari olea, ea præcipue, quæ ſale gaudent volatili.

§. 9. Alias in genere tales mihi vix probantur modi, quibus nonnulli conantur magis immutare concretorum nativam virtutem, quam eandem ſervare. Quid dicam de oleo laterino, titulo ſpecioſiore *oleum Philoſophorum* dicto? Certe oleum illud expreſſum olivarum in ſe laudatiſſimum eſt medicamentum pro ſcopo refrigerandi, humectandi, doloresque mitigandi; hæ vires ut deſtruantur, omnes intendunt nervos; videlicet ignienda primum ſunt laterum fragmenta, oleoque communi immergenda, ut illud abſorbeant, atque hoc non ſine cautione fieri debet, niſi enim illico vas continens tegatur, flammam concipit oleum ac perditur: poſtquam igitur ab adjectis ſufficienter lateribus exhauſtum

eſt,

eſt, tum vero in retortam conjicitur, ut inde per deſtillationem iterum repetatur, fœtens puta, acre ac toto cœlo diverſum a recenti oleo.

§. 10. Putasne vero laborem hunc eſſe Philoſopho dignum, non præparare ſimplicia, ſed corrumpere? Nec enim tantum eſſe poterit deſiderium fœtentis olei, cum ex cornu cervi, ebore, tartaro, ſimilibusque non ignobiliora proſtent, in quibus tamen rectificandis aſſervandisque & tempori & vaſis, & operæ parcent plerique. Adhæc in locum ejus oleum ſuccini nihilo carius ſubſtitui poteſt commode, vel oleum terbinthinæ, aut juniperi, vel potius ipſum nativum petræ oleum, quæ omnia viliore quidem pretio vendi ſolent, aſt longe gratiora ſunt, ne dicam efficaciora, tam uſu interno quam externo.

Cap. III.

De Spiritibus ardentibus.

§. 1.

Equidem tria ſpiritum genera in arte noſtra occurrunt, unum ardentium, alterum acidorum, tertium urinoſorum; quoniam vero in ſequentibus de ſpiritibus acidis ſeorſim,

ſim, itemque de urinoſis peculiari capite agendum erit, hic loci tantummodo dicam de inflammabilibus, ſive iis, qui neque acidi vere, neque urinoſi ſunt, ſed volatiles & ſulphurei ſeu oleoſi, ita ut ab admoto igne accendi queant facillime.

§. 2. Fiunt autem hujusmodi ſpiritus communiter e *frumento*, *baccis juniperi*, *aut uvis vel potius vini fecibus*, & quidem adeo copioſe, ut a deſtillatoribus aut vetulis non modo vendibiles per urbem circumferantur tota die, vel juxta compita forumque exponantur, ſed & hinc inde in ganeis inſtar cereviſiæ vinique diſtrahantur pretio certe viliſſimo.

§. 3. Præterea non parcus eſt in Pharmacopoliis ſpirituum ardentium numerus, e vegetabilibus puta variis paratorum; ſunt enim quidam e fructibus, *rubii idei* v. gr. *e fragis, ceraſis, pomis borsdorfianis*, *cydoniis, baccis ſambuci &c.* alii e floribus tantùm, uti *ſambuci, roſarum*, *liliorum convallium*, *roſmarini, tiliæ, vel keyri &c.* alii e radicibus, ut *angelicæ, zedoariæ, acori*, alii e plantis fere integris, aut etiam foliis, uti *cochlearia*, *abſinthio. centaurio minore. chamomilla, mentha, meliſſa &c.*

§. 4. In præparatione horum ſpirituum ante omnia fermentatio ſimplicium, hunc ſcilicet in finem, ut ſuccedentibus particulis hetero-

terogeneis, quod volatile est ac spirituosum sui juris fiat; nisi enim præmissa fuerit fermentatio, e. gr. musti, frustra exspectabis spiritum ardentem, quem e vino non difficulter impetrabis.

§. 5. Itaque si vegetabile fuerit succulentum, succus recipi ex eo potest instar musti expressus, sin minus, aqua saltem communis affundatur pro lubitu, atque sic ad aliquot dies seponatur, donec spuma inter fermentandum nata, rursus subsidere incipiat. Atque id ipsum paucos intra dies contingit, ut non necessum sit ad accelerandum opus adjectione fermenti, vel quod aliis arridet, sacchari, salis tartari, aut cerevisiæ fecum.

§. 6. Cavendum potius est, ne diutius asservetur post fermentationem destillandum, præsertim in loco tepido, & vase non satis clauso; fieri namque solet, ut paulo post acescat liquor ac denique vappescat, locoque spiritus ardentis, si destilletur, phlegma prodeat vel insipidum, vel acidulum, vel denique putridum ac urinosum.

§. 7. Atque ideò nec ineptum arbitror, si quæ ad fermentandum æque apta non sunt, seu nimis volatilia fuerint, uti radix armoraciæ, cochlearia, similiaque antiscorbutica acria, sive admodum sicca, uti sassafras, cinnamomum, atque aromata reliqua, item radices

ac

ac semina duriora destillentur cum vino, vel potius spiritu vini, aut loco ejus spiritu juniperi aut frumenti. Etenim quem addimus, spiritus vini e. gr. dum abstrahitur, elevat secum unitque particulas concretorum acres, salinas ac oleosas, atque tum nihil aliud relinquitur in fundo, quàm iners & exhaustum residuum, odore ac sapore orbatum desiderato.

§. 8. De cætero destillatio spirituum ardentium per vesicam vel cucurbitam vitream ad eundem modum fieri potest, quo aquæ vel olea destillari solent; hoc saltem notandum, cum spiritus admodum sint fugaces, ac impetuosi, juncturas cum cura undique claudendas, subjectumque ignem non nisi lenissimum esse debere; alioquin frustraneus erit labor, ne dicam periculosus, quoniam erumpens spiritus flammam, quam facilè concipit, longè lateque diffundit in laboratorio.

§ 9. Hâc peractà destillatione, præcipuè si *spiritùs per abstractionem* paretur, optimum est opus repetere, eundemque spiritum a recenti materia iterum iterumque abstrahere. Hoc enim pacto fieri potest, ut spiritus juniperi v. g. affusu cochlearis adeò tandem evadat igneus, ut vix degustari queat absque metuenda linguæ læsione. Quid? quod & *rosarum spiritus* per fermentationem paratus longe suavissimum spirat odorem, si a recen-

 tibus

tibus abstrahatur floribus: idem de cæteris esto judicium.

§. 10. Superest ergo, ut rectificetur adhuc spiritus, ac liberetur a phlegmate abundante; Id quod per cucurbitam satis altam optimè præstamus, ut striæ scilicet in alembico observari queant. Quamdiu enim ignem adhibemus moderatum, tamdiu non facilè phlegma simul assurgit; ubi verò striæ jam deficiunt, guttulæque aquosæ vel in alembico, vel vase recipienti apparent, tempus est, ut, ablato spiritu, in aliud appositum vitrum colligamus aquam, quæ tum sequitur, spirituosam.

§. 11. Si retè operatus fueris, unica rectificatio sufficere poterit, ut spiritum acquiras alcoholisatum, seu summe subtilem. Signum hujus rei erit, si injectus pulvis pyrius, accensa in cochleari quadam portione spiritus, post hujus consumtionem simul conflageret. Quandocunque enim tantillum phlegmatis spiritui admixtum est, frustra expectabis detonationem, siquidem aquosum illud ab accensione omnino tuetur pyrium pulverem.

§. 12. Denique nec reticere possum, quod circa asservationem spirituum ardentium meo cum damno didici, scilicet vitrum nunquam adeo implendum esse, quin aliqua ejus pars, tertia puta vel quarta, relinquatur vacua; ubi enim accedente levissimo calore vel mo-

tu

tu ſpiritus ſeſe expandere conatur, oſculum autem vaſis probe obturatum eſt. tum vero nihil obſtat, quo minus vitrum ſatis firmum perrumpat atque disjiciat.

§. 13. Hactenus de ſpiritibus ardentibus e regno vegetabili deſumtis, atque hi ſufficere nobis poterunt, ut non neceſſe ſit in mineralibus vel animalibus quenquam anxius occupari. Si quis tamen *mel*, præmiſſa ſolutione ac fermentatione examinare velit, reperiet hoc quoque in ſubjecto, quod ei ſatisfecere queat; dubium tamen erit, annon & hic ipſe ſpiritus ad vegetabilia referri debeat, cum mel opus quidem ſit apum, at revera florum dulciſſima proles.

§. 14. Interim negare non poſſum, in deſtillatione cornu cervi, v. gr. ſanguinis humani &c. ſtrias quoq; non paucas occurrere; quandoquidem vero eorum deſtillatio empyrevma neceſſario conjunctum habet, itaque nemini auctor ſum, ut his rectificandis multum inſudet, cum fœtor talis vix ſatis tolli queat, quomodocunque inſtituatur negotium.

§. 15. Eodem jure non admittimus ad hanc ſpirituum ardentium claſſem, ſi quid forte per deſtillationem e mineralibus expellatur, quod ſub forma ſtriarum appareat. Quemadmodum enim ex animalium partibus parati ſpi-

ritus a sale volatili odorem, saporem, virtutemq; adipiscuntur, ita certe quod ex mineralibus spirituosum colligitur, ad acido nunquam non adulteratur ita, ut potius ad acida quam inflammabiles spiritus referendum sit, prout exemplo spiritus vitrioli volatilis clarè apparet.

CAP. IV.

De

Spiritibus acidis.

§. 1.

HOrum materiam si quis quærat, aptiorem non inveniet, quam in regno minerali: qui enim ex sale, nitro, vitriolo aut sulphure parantur spiritus acidi, ii profectò & gratiores sunt, & efficaciores præ omnibus, quos vel vegetabilia vel animalia subministrant.

§. 2. Equidem fateor in formicis majoribus acidum etiam non ignobile aut ingratum deprehendi, quando scilicet spiritus vini ab iis aliquoties abstrahatur. Quanquam vero & hic *spiritus formicarum*, si rectè procedatur, linguam fere acrimonia sua erodat, pro puro tamen acido spiritu haberi non potest, ob affusi spiritus vini majorem quantitatem.

§. 3.

§. 3. Qui e *melle* vel *sacchara*, aut *masticbe* similibusque resinis, item e *lignis* paratur liquor, acidus quidem plus minus est, ast inter magis sapidos mineralium spiritus asservari non meretur. Destillantur enim illa ordinarie per retortam vitream ex arena, itaque calore moderato saltem colligitur phlegma acidulum; si vero ignem continuare velis & augere, ad acquirendum potentius acidum empyreuma non evitabis facile; Cumq; sal volatile simul expellatur; *spiritus* non amplius acidus est, sed *acris salsus*.

§. 4. Id enim præ spiritibus ardentibus peculiare habent acida, quod phlegma in his semper præcedat, cum alias spiritum sequatur; atque ideo qui *acetum* destillare cupit, non nisi tum demum acetum laudabile impetrabit, quando phlegmate abstracto remotoque guttæ satis acidæ in vas excipiens destillant.

§. 5. Et quandoquidem acetum ad siccitatem usque destillari non potest, quin adhuc notabilis ejus quantitas in vitri fundo relinquenda sit ob metuendam adustionem, idcirco non ineptum est, si acetum desideretur potentius, ut, quod in *viridi æris* concentratum est, expellatur iterum. Atque hoc ipsum facili negotio efficimus, si modo æs viride pulveratum, ac tantisper aceto irroratum, per retortam vitream ex arena destilletur igne

gradatim aucto; nam, & hac ratione post phlegma paucum, spiritus prodit sub forma lactearum nebularum, summe volatilis ac impetuosus, adeoque probè custodiendus.

§. 6. Est autem modus destillandi *spiritus* acidos e mineralibus talis: sumantur v. gr. *salis* vel *nitri* lb. ij. his solutis aut saltem contusis addatur, ad evitandam fusionem, triplum boli communis vel argillæ, quo additamento non indiget *vitriolum*, propter copiosas, quas continet particulas metallicas, misceantur itaque vel in forma pulveris, vel, quod magis probo, fiant exinde globuli ad magnitudinem eam, quam collum retortæ terreæ admittit; Postquam desiccati fuerint globuli, mittantur in retortam satis capacem, ita tamen, ut hujus dimidia pars, aut ad minimum tertia, relinquatur vacua. Deinceps in furno reverberii instituatur destillatio, in principio quidem igne lenissimo, donec spiritus prodeant sub forma nebularum, candidarum quidem e sale vel vitriolo, sed rubrarum e nitro.

§. 7. Nimirum phlegma illud, quod primò egreditur, præcipuè si destilletur vitriolum non calcinatum, particulas secum vehit summè volatiles ac pene incoërcibiles; & quamvis recipiens sit vas amplissimum, dissilit tamen ab earum impetu, si ab igne urgeantur nimium. Id verò amplius metuendum non

est,

est, quando fixiores spiritus per modum fumi e retortæ collo egrediuntur, nisi fortè hoc ipsum, ab intensissimo calore candens, vitrum rumpat applicatum.

§. 8. Continuamus cæteroqui destillationem eousque, donec nebulæ paulatim cescent, quanquam ignis gradus adhibeatur fortissimus. Idcirco nec una dies operi huic absolvendo sufficit, sed ad tertiam usque vel quartam & ultra protrahitur labor, præsertim si quis paulo majorem sumserit materiæ quantitatem, aut debiliorem ignis gradum adhibuerit nimis timidus.

§. 9. Eum ergo in finem, ut mihi videtur, retortam invenerunt tubulatam, cujus superius aut etiam laterale collum & aperiri potest, ad ingerendam pro lubitu materiam, & claudi, ad retinendos spiritus, ac in recipiente colligendos. Ad hunc enim modum ex nitro cum vitrioli duplo fit *aqua fortis*, ex nitri lb. i. cum salis ammoniaci silicumque contusorum lb. iij. fit *aqua regia*, ex nitro, tartaro & antimonio vel etiam sulphure variâ proportione mixtis fiunt *clyssi minerales*.

§. 10. Nimirum si quis ope cochlearis minorem quantitatem pulveris istiusmodi mixti ad drachmas ferè duas unâ vice ingerat, nec prius superaddat novam materiam quam ubi nebulæ rariores ex retortæ collo in vas

excipiens prodire ſpectentur, tunc profectô nihil eſt, quod eum reddere queat ſolicitum, ſi modô id agat, ut retortæ fundus continuò candeat. Atque ita labor iſte ſatis quidem tutus eſt, & compendioſus, ſimul tamen laborioſus admodum ac propter exhalationes minus gratas non parum tædioſus.

§. 11. Par eſt ratio *ſpiritus*, quem ſub campana colligunt *ex accenſo ſulphure*, atque ideô vix ullus eſt Pharmacopœorum, qui non eundem potius a deſtillatoribus emat, quam ut fœtorem illum ſummè nocivum ac fermè ſuffocantem toleret. Adhæc tantum ejus deſiderium eſſe non poteſt, cum in illius locum non male ſubſtitui queat ſpiritus ſalis, vel vitrioli, vel nitri, aut etiam ſpiritus vitrioli Philoſophicus, de quo inferius capite undecimo occaſione Mercurii vitæ dicendum erit.

§. 12. *Alumen* autem hoc loco lubens prætereo, quoniam liquor, quem per deſtillationem fundit, non tam acidus eſt, quam ab initio inſipidus, ac poſtmodum inſigniter auſterus. Vix enim credibile eſt, quàm peſſimus ſapor in ſale deprehendatur, quod collo retortæ vel recipientis adhæret, ſalis cujusdam volatilis ſpeciem referens, cum tamen nil minus quàm urinoſum ſit.

§. 13. De cetero nihil ſupereſt, quàm ut rectificationem quoque ſpirituum acidorum

attin-

attingam. Aut enim ii nimis aquosi sunt, uti e. gr. spiritus vitrioli vel acetum destillatum, aut impuri sunt ob admixtas particulas terreas, metallicas aut sulphureas; tum verò rectificari possunt e retorta vitrea igne arenæ, ita ut, spiritum acriorem si expetas, tollatur phlegma, & postmodum continuetur destillatio ad siccitatem usque, atque sic in retorta remaneat, quicquid heterogenei admixtum fuit.

§. 14. Quibus præterea spiritus ejusmodi acidos pro usu interno temperare placet, iis non repugnabo. Artificium omne in eo consistit, ut scilicet spiritui nitri vel salis, qui usitatiores sunt, addatur, e. gr. quadruplum spiritus vini rectificati, digeratur aliquandiu ac destilletur mixtura, & jam paratus erit *spiritus nitri dulcis vel salis &c.*

CAP. V.

De Spiritibus urinosis & salibus volatilibus.

§. 1.

QUemadmodum vegetabilia conficiendis spiritibus ardentibus, & econtra mineralia inserviunt acidis, ita præ cæteris ad spiritus

rirus urinosos antissima sunt animalia. Alia quidem recipiuntur integra, uti *millepedes*, *lumbrici terrestres*, *bufones* atque *viperæ*: alia partem quandam suggerunt vel duram, vel molliorem, aut etiam fluidam. Dura sunt ossa in genere, *cornu cervi*, *ebur*, *ungula alcis*, *lapides cancrorum*, *testæ ovorum &c.* molliores sunt *cor cervi*, *castoreum*, *secundina humana &c. ad* fluidas referuntur *sanguis humanus*, *& lotium*.

§. 2. Quæ ex his succulenta sunt vel fluida, uti lumbrici terrestres, millepedes, secundinæ, sanguis atque urina, vulgo quidem ad putrescendum seponunt; mihi verò sordidus ille labor ac pessimè fœtens nunquam placere potuit, præsertim cum inter destillandum, quæ adeò succulenta sunt, facillimè in spumam attollantur, atque in vitrum recipiens effusa, omnem destillationem non rarò reddant irritam.

§. 3. Satius est autem desiccare humiditatem, quantum fieri potest, si tempus fuerit æstivum, in aëre libero aut radiis solaribus, vel potius lento calore furni, quod nullo non tempore licitum est. Nec metuendum erit salis volatilis dispendium, siquidem id ipsum a concurrentibus particulis oleosis & viscidis adeô tenaciter retinetur, ut non semel sanguinem ad remanentiam tertiæ partis calo-

re

re satis intenso desiccaverim, absque ulla tamen salis volatilis jactura.

§. 4. Quod si proinde cornu cervi similiaque dura destillare velis, comminuantur ea, & immittantur frustillatim in retortam terream, donec ad collum usque repleatur. Deinde in furno reverberii fiat destillatio, igne omnino blando, atque tunc ab initio phlegma, postea oleum prodibit, cum sale volatili, instar nivis recipientis parietibus adhærescente.

§. 5. Reliqua minus dura, uti serpentes, castoreum, sanguis &c. postquam desiccata fuerunt & incisa, per retortam saltem vitream ex arena destillari poterunt; ita enim ad eundem modum post phlegma comparabit sal volatile sub specie candidi fumi tamdiu exhalans e retortæ collo, quamdiu oleum stillat obscurum. Hoc itaq; non amplius depluente, finita est operatio, quam spatio unius diei satis feliciter absolvimus.

§. 6. His peractis quæ in recipiente confusa occurrunt, separari possunt hoc modo, ut ante omnia oleum a reliquo liquore sequestretur per tritorium, spiritus autem urinosus, ut a reliquo liberetur oleo, rectificari debet, vel ab adjectis ossibus ustis aut calce viva, vel ex affusa copiosiore aqua aut vini spiritu. Videlicet igne id fieri potest admodum blando, & quidem per cucurbitam vitream;

cream; cujus loco si sumatur phiola satis alta, sublimabitur sal volatile in alembicum, sub forma sicca colligendum.

§. 7. Tam operosa rectificatione non indiget *spiritus salis ammoniaci*, atque ideò eum, si non omnibus salibus volatilibus, certè huic antepono, quod ex urina communi ratione parari solet. Optimum autem est, si salis ammoniaci lb. ſ. in aqua calida soluti, injiciatur æquale pondus calcis vivæ pulverisatæ, vel quod perinde est, ad farinæ modum extinctæ; dissiliunt enim non infrequenter vasa, præsertim si majora calcis vivæ fragmenta recipiantur.

§. 8. Qui calcem vivam abhorret, recipiat cretam vel quodcunque terreum absorbens, aut etiam sal fixum tartari, vel cineres clavellatos; satis est, si modo additum quid fuerit, unde satietur acidum salis in sale ammoniaco conficiendo adjecti. Hoc enim saturato, sal volatile, quod sal ammoniacum ex urina vel etiam fuligini possidet, libaratur iterum, ac exhalat, unde a subjecto igne in alembicum sublimatur, atque a superveniente aqua in liquorem solvitur maximè urinosum.

§. 9. Alias *fuligo* splendens ac durior, prout e fumo lignorum concrescit in camino, sal volatile satis copiosum præbet, quando

per

ſper retortam vitream deſtilletur ex arena. Verùm niſi aliquoties rectificetur ſpiritus, & ab oleo ſummè nigricante a empyrevmatico liberetur, obſcuritatem rurſus acquirit intolerabilem, cum ſapore fumoſo conjunctisſimum.

§. 10. Præterea ex *vini fecibus* deſiccatis, vel *tartaro* per additionem ſalis tartari vel cinerum clavellatorum *ſpiritus urinoſus & ſal volatile* per retortam terream deſtillatur. Aſt qui vulgo vendi ſolet ſpiritus tartari, non niſi phlegma eſt acidulum, ab empyrevmate olei fœtentis quodammodo tinctum, adeoque nullius valoris.

§. 11. Niſi enim acidum deſtruatur tartari, quod ſal volatile figit, parum hujus per deſtillationem haberi poteſt. Atque ideò nec inconveniens eſt addere calcem vivam, quemadmodum in parando ſpiritu carminativo de tribus ſolent, vel ſilices contuſos, quod in *tinctura ne, phriticæ* confectione uſitatum eſt Quibus cum egregiè convenit *ſal tartari fugitivum* ROB. BOYLE, nam & nitrum adjicitur ſaltem ad detonationem promovendam; & modus deſtillandi idem eſt, puta per retortam tubulatam; & medicamentum ipſum, quod his modis paratur, ejusdem eſt dignitatis ac virtutis

§. 12. Quanquam verò quæ ex tartaru & fuli-

fuligine parantur salia volatilia sufficere possent in regno vegetabili, præsertim cum ex animalibus plura suppetant, nihilominus variis modis tentatum est, annon & ex aliis plantis simile destillari queat sal volatile. Itaque per experientiam nunc tandem constat, facillimè talia impetrari, si modo putrefiant herbæ, præ cæteris aromaticæ, mentha, melissa, &c. vel amaræ, absinthium, centaurium minus atque similia.

§. 13. Operatio deinceps eadem est, qualem in destillandis partibus animalium succulentis annotavi; nempe destillantur per retortam vitream, si humida fuerint, in spiritum urinosum, si licciora, simul apparrebit sal volatile in forma sicca. Verum, quod insimul prolicitur oleum, putridum est & longe alienum ab eo, quale per vesicam destillamus.

§. 14. Quodsi proinde placet saporem atque odorem servare specificum, non abs re erit, ejusmodi salia vel à recentibus plantis abstrahere, vel quod idem est, instilletur oleum destillatum in spiritum salis ammoniaci cum spiritu vini paratum, aut abstrahatur istiusmodi spiritus urinosus ab extrahendis seminibus aromaticisque. His enim & similibus modis non erit difficile *salia volatilia* omnis generis *oleosa & aromatica*, acriora & mitiora facere, ad imitationem eorum, quæ

ante-

antehac a Fr. de le BOE SYLVIO inventa, atq; ſub arcana præparatione non ſine applauſu orbis divendita ſunt.

CAP. VI.

De

Salibus fixis.

§. 1.

HOc nomine indigitantur alcalia, quæ nec in aëre nec igne avolant pro more ſalium volatilium, ſed conſtanter permanent, niſi in crucibulo nimium vexentur, nam & hâc ratione pondus eorum ſucceſſive decreſcit. In ſpecie autem vox alcali ab initio dicta eſt de ſale ex herba kali, nunc verò de omnibus prædicatur, quæ ad modum illius ex plantis incineratis fiunt. Imò & abuſive cuncta, quæ inſtar eorum contrariantur acido, ſalia vocantur alcalia, ita ut ad volatilia quoque accommodetur, qui fixis proprius erat titulus.

§. 2. Mihi verò hic loci ſaltem ſermo erit de alcalibus propriè talibus, prout e vegetabilibus confici & aſſervari in Officinis ſolent. Interim non inficior, ex animalibus quoque per incinerationem tale quid haberi poſſe; quoniam vero tantillum eſt, ac nullibi uſita-

tum, ideoque nec hac vice attingi meretur. De *alcali nitri* autem, quod unicum ex regno minerali hactenus innotuit, dicam alia occasione, ubi de antimonio diaphoretico cap. VII. §. 11.

§. 3. Ad plantas igitur dum me converto, ante omnia monendum eſt, ſelectum in iis inſtitui debere, cum non omnia promiſcue huic operi apte inſerviant. Si quis enim v. g. cucumeres & cucurbitam, aut ſimilia minus ſapida ſali fixo deſtinabit, item antiſcorbutica illa nimis volatilia, cochleariam, naſturtium aquaticum, radicem armoraciæ, parum profecto ejus ex immenſa mole obtinebit. Magis ergo conveniunt amara illa, *carduus benedictus, centaurium minus vel abſinthium*, & *aromatica, juniperus, roſmarinus, ruta, ſerpillum*, & in genere duriora & lignoſam, uti *geniſta, ononis* &c.

§. 4. Modus procedendi ſex abſolvitur punctis. Primum eſt, ut planta deſiccetur, alterum, ut comburatur in cineres, tertium, ut ex his affuſa aqua ſal extrahatur, quartum, ut transcoletur lixivium, quintum, ut per coctionem inſpiſſetur ac deſiccetur ad remanentiam ſalis, ſextum, ut hoc ipſum depuretur, reddaturque candidum.

§. 5. Nimirum ante omnia deſiccanda eſt herba in aëre libero, cavendo tamen, ne in

acer-

acervum congesta incalescat sua sponte ac putrefiat; certum enim est, vix tantillum salis vixi tum impetrari, quando per putrefactionem jamjam volatilem naturam induerunt concretorum salia, uti exemplo ligni putridi, authore Helmont satis manifestum arbitror.

§. 6. Hoc fortasse pacto factum est, ut Tachenius parum adeo salis fixi e cineribus plantarum siccarum acquisiverit, atque ideo jusserit eas adhuc virides comburendas esse. Itaque ad inquirendam rei veritatem, aliquoties repetito experimento tentavi, num labor hic summe difficilis ac tædiosus, a majore salis copia tantillum compensetur; & ecce vanam esse cautelam illam non sine indignatione expertus sum.

§. 7. Videlicet eadem die colligi hederæ terrestris libras bis centum curavi, cujus dimidium die sequenti ad mentem Tachenii concremavimus sine flamma quidem luculenta, at non sine intolerabili fumo. Et quandoquidem nimia humiditas ignem nec facile admittit, nec fovet, itaque furnum venti in subsidium vocavi, egregie scilicet ab alia operatione candentem, exemptis nempe prunis, cineribusque flatu follis ejectis, ne quid heterogenei admisceretur, plantam successive immisi comburendam, ignem juvans, cum opus fuit adhibitio eodem folle,

§ 8. Postquam vero altera portio hederæ terrestris desiccata esset ad remanentiam saltem librarum novendecim, combussimus eandem quoque, sed minore cum difficultate. Reperti autem sunt cineres ejusdem ponderis cum iis, quos e succulenta servavimus, nempe libræ duæ cum dimidia, salis autem fixi post evaporationem primam e succulenta pariter & sicca fuerunt unciæ circiter tredecim.

§. 9. Cum fumariam eodem modo tentaremus, impetravimus cinerum quidem libras tres cum dimidia, salis tamen quodammodo purioris uncias fere decem ex tecentis pariter centum libris, ac parte altera ad viginti & unam libram desiccatæ. Idem pondus chamæmillæ cinerum quoque dedit libras tres cum dimidia, itemque salis fixi æqualem quantitatem cum fumaria. Et quoniam simile in absinthio aliisque observare mihi contigit, non possum, quin Tachenio intrepide contradicam; etenim concedo quidem prius e libra una cinerum, si herba fuerit recens, acquiri uncias fere quatuor, sed falsum est posterius, nempe aridarum herbarum cineres si ad libras quatuor recipiantur, vix dare salis unciam.

§. 10. Multum autem interest, quomodo

facta

facta fuerit plantæ combustio. Si enim satis incinerata non sit, minorem obtinebis salis quantitatem, quod e carbonibus nihil exlixiviari queat: si nimium calcinetur, non parum quoque salis in auram abit, itaque sic quoque non parum ponderis decedit. Quapropter optimum semper iudicavi & expertus sim, si post deflagrationem cineres candentes in acervum cumulentur, donec exustis successive carbonibus sponte sua extinguantur.

§. 11. Refrigeratis cineribus, affundatur aqua frigida; si calidam affundas, cineresve recipias calidos, aut extractionem in calido instituas, deprehendes luculenter non modo lixivium, sed & hoc evaporato sal fore longe obscurius ideò, quod accedente calore alcali plus solvat particularum in cinere sulphurearum vel terream, candorem salis admixtione sua non parum deturpantium. Toties autem reaffundi potest cineribus recens aqua, quoties sapor adhuc contentum sal indicabit.

§. 12. Ubi vero infusum tale aliquandiu steterit, post repetitam sæpius commotionem baculo factam, transcolatio sequitur. Cumque lixivii major sit quantitas, quam ut per filtrum trajici possit commode, proinde magis conveniens erit, si effundatur supra papyrum duplicatam aut triplicatam, unà cum

ſubjecto panno ſuſpenſam lignoque firmatam circa marginem. Primum enim major pars lixivii cochleari ferreo majori deſuper infundi poteſt, donec ipſi tandem cineres ſub finem adjiciantur, quos ab initio ſtatim admiſcere non licet, quoniam transcolationem non parum remorarentur.

§. 13. Jam vero tempus eſt, ut evaporetur lixivium, & aqua affuſa rurſus ab extracto ſale ſeparetur; atque id in arena fieri poteſt e cucurbita decollata vitrea. Si vas ſumatur ex argilla confectum, notabilis pars ſalis ab eo abſorbetur. Si ferreum adhibeatur, metuendum, ne a croco martis quodammodo inficiatur alcali. Atque ideo ſunt, qui pro arcano habent, idipſum evaporari e vaſe plumbeo, quemadmodum ſal fontanum confici ſolet.

§. 14. Finita evaporatione illa, ſal in vitro reperitur obſcurum; intra quadrantem tamen horæ reddi poteſt omnino lacteum, ſi ſaltem in crucibulo perfecte fluat. Qui cryſtallos mavult, ſolvat idipſum in aqua pura, factaque filtratione iterum evaporationi tradat, ſub finem adhibendo ignem tantùm ſuppreſſionis; ita enim miro artificio cryſtalli variarum figurarum juxta diverſitatem herbarum colliguntur, pellucidæ penitus inſtar ſacchari candi.

§. 15.

§. 15. Nimirum quod in cryſtallos concreſcit, falſum eſt omnino, nec pro more alcalium in aëre per deliquium ſolvitur, ſed remanens lixivium longe diverſum eſt, ac proxime ad naturam *olei tartari per deliquium* accedit. Paratur autem hoc ipſum oleum e ſale tartari, quando diu calcinatus fuſusque tartarus in cellam repoſitus ab humiditate loci ſolvitur; ita enim ſal fixum habetur in forma liquida, quod, ſi placet, evaporatum ſalis naturam reinduit.

CAP. VII.

De Salibus eſſentialibus & ſalſis.

§. I.

QUæ hactenus vidimus ſalia, tam volatilia, quam fixa, certum eſt, ſub hac forma non præextitiſſe in mixtis, ſed beneficio ignis fuiſſe producta; volatilia quidem liberando ab acidarum, oleoſarum, terrearumque conſortio, fixa verò uniendo eadem ſalia cum oleoſis terreisque particulis. Verùm, quæ vocant *ſalia eſſentialia*, mediæ ſunt naturæ, id eſt, neque volatilia, neque omninò fixa, quip-

pe quæ nec pro more ſalium volatilium nares feriunt atque avolant in aëre libero, nec inſtar ſalium fixorum per ignem alcaliſata ſunt. Atque talia proprius videntur accedere ad naturam concretorum, cum inter ſe ſpecifice differant, & non rarò ipſum ſaporem plantæ, unde parantur referant, uti ſaccharum, ſal acetoſellæ atque acetoſæ, tartarus vini &c.

§. 2. Fiunt autem ſalia hujusmodi eſſentialia ex herbis, notabili ſapore gaudentibus; nam minus ſapida, cum parum ſalis abſcondant, huic operi non ſunt idonea. Modus ea parandi duplex potiſſimum in uſu eſt, alius ferè ſine igne, alius cum igne. Sine igne fit *tartarus vini*, quando ſuccus uvarum expreſſus poſt fermentationem ſal ſuum ſucceſſive deponit, affigitque parietibus dolii, quo aſſervatur; ad quem modum e ſucco aliarum herbarum ſimilia quoque ſalia eſſentialia fieri nihil vetat, ſed longum hoc eſt, atque patientiam præſupponit non omnibus conceſſam.

§. 3. Ad accelerandum proinde negotium, ignem plures in ſubſidium vocant, ſuccumque v. g. *acetoſæ* clarificatum ad conſiſtentiam mellis inſpiſſant, ſeponuntque in cellam per aliquot dies, donec ſal concreſcat in vitri fundo, ab impuritate ſua ulterius vindicandum. Quod ſi vero plantæ ſint minus ſucculenæ

culentæ, e. gr. *meliſſa*, *carduus benedictus*, *fumaria*, *chamomilla* &c. tunc aqua ſufficienti affuſa coctio præmitti ſolet, usque dum ſapor omnis extractus fuerit; poſtmodum inſtar ſuccorum inſpiſſatur decoctum, depuratumque ad cryſtalliſandum ſeponitur.

§. 4. Inſtar omnium eſſe poteſt *saccharum*, quod olim quidem e canna ſaccharifera colligebatur, quando idipſum inſtar reſinæ ſponte tranſudans a radiis ſolaribus in ſal ejusmodi eſſentiale dulciſſimum converſum erat. Nunc vero longe depuratius maxima in copia ex Inſulis Medera, Canariis, Maltha &c. adducitur, quale per expreſſionem coctionemque reiteratam conficiunt, ita ut mirum ſit, quomodo tam operoſe paratum ſaccharum adeo vili pretio his in terris vendatur.

§. 5. Atque ideò præter ſaccharum tartarumque vix ullum aliud in officinis noſtris eſſentiale ſal aſſervatur, cum inter alia medicamenta facilius parabilia iisdem carere haud gravatim poſſimus, præſertim cum cryſtalli ſalium fixorum non male in locum eſſentialium ſubſtituantur. Saccharum autem ulteriore depuratione non indiget; aſt vini tartarus, quoniam non parum fecis admixtum habet, poſt ſolutionem in aqua ſimplici factam ſupra ignem, & transcolationem in cremorem cryſtallosque abit.

§. 6. Quibus hæc tartari præparatio simplex & vulgo nota minus placet, ii sali tartari fixo tantum aceti destillati affundunt, quantum ad ejus saturationem requiritur; Tartarus hoc pacto regeneratus, post abstractionem abundantis cum phlegmate aceti; in fundo vitri sub titulo *salis essentialis tartari*, aut *terræ foliatæ tartari* asservatur, cumque nonnullis forma liquida magis arrideat, in cellam seponitur, ut per deliquium solutus, *liquor terræ foliatæ tartari* fiat.

§. 7. Quemadmodum autem terra foliata tartari, si forti desiccetur igne, ob repetitam inde aceti aliquam partem, salsum evadit ad alcali quodammodo inclinans, ita verè inter alcalino-salsa referri meretur, quem e tribus tartari, salisque ejusdem fixi duabus partibus conficiunt *tartarum tartarisatum*. Obtunditur enim hâc ratione acidum illud, quod in tartaro tantisper excedit, atque ita necessariò alcali prævalet, majori quantitate adjectum, quam quod ad acidi illius saturationem requirebatur.

§. 8. Alia est ratio *tartari vitriolati*, quem vulgo quidem e sale tartari fixo spirituque vitrioli parant, ad mentem Tachenii ex sale tartari & solutione vitrioli crudi. Remedium profectò idem est, utrumque perfectè salsum, si modo vitriolum acidum rite saturetur.

retur. Facilius tamen tolerari potest, si alcali tantillum excedat, quam si acidum præsertim vitrioli crudi prævaleat; ita namque certiores sumus de particulis metallicis perfecte præcipitatis. Alcali vero quod abundat, non difficulter iterum sequestrari potest, si modo depuratus liquor ad cuticulam inspissetur, ac lege artis crystalliseтur; quod enim ultimo remanet, lixiviosum est in crystallos amplius non redigendum.

§. 9. Qui loco salis tartari alcali nitri recipit, *nitrum* impetrat *vitriolatum*, sive *arcanum duplicatum* Mynsichti; communiter id ipsum post aquæ fortis destillationem parant ex residuo mixti cum nitro vitrioli, ast quoniam alcali nitri, in æquali pondere cum vitriolo sumti, minus sufficere potest ad omnimodam vitrioli præcipitationem, itaque longe felicius succedit negotium, si triplum nitri cum vitriolo misceatur, & postmodum vel destilletur in aquam fortem, vel crucibulo saltem per horam fundatur, ut post discessum spiritus nitri alcali ejus absorbeat acidum vitrioli magis fixum. Post refrigerium solvitur massa beneficio aquæ simplicis, filtratur, evaporatur, & crystallisatur pro more salium similium.

§ 10. Referri ad hanc salsorum classem meretur etiam *nitrum*, *borrax Veneta* & *sal ammonia-*

moniacum. Hoc equidem ex ſale communi cum urina atque fuligine factum, adhuc tolerabili pretio venditur undique, ut non tam circa ejusdem præparationem quam depurationem ſolliciti eſſe debeamus. Verum & hæc ipſa difficultate omni caret, cum poſt ſolutionem in aqua ſimplici & filtrationem inſpiſſari ad omnimodam ſiccitatem ſal ammoniacum poſſit. Borrax autem ex ſale ammoniaco fit, & nitro, tartaro, alumine, ſale communi, aliisque, aſt quandoquidem ſatis copioſa ſatisque nitida quotidie ad nos affertur, non opus eſt, ut hujus confectioni multum inſudet chymicus.

§. 11. Idem de nitro judicium eſto; nec enim noſtrum eſt idipſum e terra pingui eruere, multo minus deſtruere jam confectum, ſufficiat elegiſſe cryſtallos ejus puriores, quæ cum perfecte ſaliæ ſint, viresque refrigerandi ſingulares habeant, itaque nec ulteriore indigent præparatione. Ad inanes nimirum proceſſus & lapis prunellæ referri meretur, & nitrum cum carbonibus fixatum. Quid enim ſibi ſulphur velit nitro adjectum, quid fuſio, non liquet; nec nitri alcaliſati tantum eſſe poterit deſiderium, cum in antimonii diaphoretici ſimplicis & Martialis, vel antihectici Poterii fixatione nitrum tale, quod vocant antimoniatum, plus ſatis haberi queat.

§. 12.

§. 12. Denique ad salsa etiam pertinet *sal succini* & *liquor cornu cervi succinatus*. Nimirum dum succini oleum destillatur, hoc ipso sal quoque prodit volatile cum spiritu acido; saturatur ergo a spiritu proprio sal illud volatile ita, ut ob acidi prærogativam in acido-salsum mutetur, non amplius instar salis volatilis animalium in aere avolans, sed juxta morem salsorum satis fixum. Quanquam vero non difficulter ab acido rursum liberari posset, nemini tamen idipsum suadere velim, cum ea ratione vix ponderis servetur dimium, & alias e regno animali magis copiosum sal volatile haberi queat leviori negotio.

§. 13. Itaque ad evitandam hanc jacturam non licet calcem vivam aut similia terrea in rectificando sale hoc volatili adjicere, sed ut oleum illud empyrevmaticum sequestretur, dissolvatur in larga quantitate aquæ communis, seponatur per aliquot dies, donec solutio appareat magis clara, filtretur postmodum & destilletur e balneo Mariæ, ut in fundo cucurbitæ sal volatile succini remaneat depuratum. Huic affundatur pro lubitu spiritus cornu cervi essentificatus; si parum addideris, mistura erit omnino salsa; si copiosius, ita ut effervescentia insimul cesset, liquor paratus est cornu cervi succinatus, ordinarie alcalino-salsus.

CAP.

CAP. VIII.

De *Tincturis & Essentiis.*

§. 1.

CONfunduntur equidem promiscue in officinis Tincturæ, essentiæ, elixir, & extracta, ut non sine tædio in eorundem differentiam inquirere liceat. Mihi si foret integrum, dicerem *tincturas*, quæcunque solutiones vel extractiones liquidæ colore gaudent suavi, rubicundo puta, cæruleo, aureo, &c. *Essentias* nominarem, quæ obscuritatem, præ se ferunt minus gratam, instar essentiæ cardui benedicti, fumariæ, Martis cum succo pomorum, &c. *Elixir* ab Essentia non discrepat, si quis tamen Essentiam magis operosè paratam, magisque compositam ita vocare velit, non morabor. Saltem Elixir proprietati non sine diffi ultate mutabit nomen, quod huc usque sibi a nativitate quasi proprium possidet.

§. 2. Idonea istiusmodi medicamentis parandis materia non unius est generis. Ex regno animali sufficere poterit *mel* atque *castoreum.* Hujus *Essentia* elegantior fit, si castoreo minutim inciso spiritus vini affundatur

v

vel tartarisatus, vel potius cum spiritu salis ammoniaci acuatus. *Mellis Tinctura* e melle paratur inspissato, quod in balneo Mariæ ad evitandum empyrevma fieri potest; tunc enim promte tingit spiritum frumenti aut juniperi rectificatum, aut etiam mellis propriam per fermentationem factum. Mumiam autem relinquamus anthropophagis; splenem bovis lanionum canibus; siquidem horum essentiæ tanti non videntur.

§. 3. Ast longiori serie vegetabilia huc revocari solent. Nimirum *floris bellidis, rosarum, tunicæ, papaveris rhœados, pæoniæ, violarum, aquilegiæ, calcatrippæ, cyani &c.* tincturas præbent egregias, si modo in phlegma vitrioli aut aquam simplicem cum spiritu sulphuris aut clysso antimonii acuatam immergantur. Quamprimum color extractus fuerit, exprimantur flores, & loco eorum immittantur recentes; quo sæpius id feceris, hoc elegantiorem impetrabis tincturam.

§. 4. Loco menstrui aquosi aut acidui recipimus spirituosum, spiritum vini, vel frumenti, quando extrahenda sunt resinosa & aromatica, aliaq; magis sapida, ut sunt *resina laccæ, benzoë, cinamomum, cortices citri & aurantiorum, lignum aloës, absinthium, carduus benedictus &c.* Juvat autem vim menstrui non parum, si præsertim duriora aliquan-

quandiu digerantur, vel in radiis, similive calore moderato.

§. 5. Nec prætereundem est, tincturam non injucundam haberi, si *sali tartari* vel chamomillæ, hederæ terrestris &c. ad cœruleum usque colorem calcinato fusoque spiritus vini addatur rectificatissimus, ac digeratur per aliquot dies. Quodsi acerrimam desideras tincturam, abstrahatur per destillationem dimidium menstrui, aut etiam ultra, ita enim spiritus vini tantùm ascendit, particulasque salinas relinquit in fundo cucurbitæ, unde acrimonia pariter atque color liquoris insigniter exaltatur.

§. 6. Antequam vero ad ea, quæ ex minerali regno occurrunt, transgressum faciam, mentio quoque injicienda erit *tincturæ Bezoardicæ*, utpote quae si non potiores vires, certe svavissimum colorem vegetabilibus debet. Nimirum Paracelso antehac in usu erat *mistura simplex*, constans ex spiritus theriacalis camphorati partibus quinque, spiritus tartari volatilis partibus tribus, & spiritus vitrioli volatilis parte una. His ingredientibus pro lubitu variatis, in pondere potissimum, aut præparandi modo, non defuere, qui gratiam coloris conciliaturi per additionem florum papaveris rhæados, vel santali, confecerunt tincturam bezoardicam, hic loci satis usitatam,

tam. Nunc autem eò deventum eſt, ut quivis pene ſibi propriam eligat præparationem, ſiquidem alii camphoram omittunt, alii ejus doſin adhuc magis augent; quidam pro ſpiritu theriacali has ſeligunt plantas, alii alias: nonnulli loco ſpiritus tartari recipiunt ſpiritum ſalis ammoniaci; vel cornu cervi, aut eboris ſimil ſive urinoſum, alii loco ſpiritus vitrioli adhibent ſpiritum nitri aliumve acidum, verbo: hic acidum expetit tincturam, ille urinoſam, alius ſalſam atque alius acrem aromaticam.

§. 7. Sed tranſeamus ad mineralia, ubi primum *tinctura ſolis* ſeſe ſpectandam offert; atque utinam potabile genuinum noſtræ poſſiderent officinæ! Verum in defectu adæquati menſtrui philoſophici qui expectandum? Nulla certe radicalis auri ſolutio, ſed extractio (ſi diis placet) ſulphuris ſolaris. Vereor autem ne color ejusmodi tincturæ aliunde ſit petitus, menſtruumq; ſpirituoſum omnes afferat vires, ſi quas analepticas medicamentum illud poſſidet.

§. 8. Quid dicam de *tinctura Lunæ*, quæ vulgaribus modis parata hoc pejor eſt quo elegantior. Cœruleus enim color, quem præ ſe fert, ab admixta naſcitur venere; nauſeam proinde atque vomitus movet, pro more aliorum e cupro paratorum. Atque ideo

cum nulla Lunæ tinctura sit propria, sed peregrina, mirum est, quamobrem locus ei adhuc in pharmacopœis concedatur. Quasi vero ineptiarum defectus cuiquam vitio vertatur, aut turpe sit; detectis antecessorum erroribus suum fateri dissensum.

§. 9. Ex Marte autem plura parantur. Si limatura chalybis digeratur in succo pomorum borsdorfianor, paucos intra dies colore tingitur nigerrimo, atque tunc decantatus liquor *essentia* nominatur *Martis cum succo pomorum.* Tincturam vero rubicundam acquirimus; quando crocum Martis in spiritu viridis æris dissolvimus; & magis adstringentem, quando capiti mortuo vitrioli ab omni venere liberato spiritum affundimus vitrioli philosophicum, aut nitri bezoardicum, similemve acidum. Præmissa digestione aliquot dierum abstrahatur menstruum, donec in fundo retortæ massa relinquatur consistentiam mellis referens. Huic adjectus spiritus vini rectificatus *tincturam* extrahit, quam dicunt *sulphuris vitrioli.*

§. 10. Longe alia est *tinctura vitrioli Martis* quando scilicet vitriolo ad aliqualem rubedinem calcinato liquor terræ foliatæ tartari affunditur ac postmodum extrahitur cum vini spiritu. Quodsi *tincturam antiphisicam* optas, saccharum saturni saltem tincturæ illi ad-

li adjiciendum eſt. Fit autem ſaccharum ſaturni optimum, quando Ceruſſa Veneta in aceto vini deſtillato per aliquot dies digeritur, donec dulcedinem ſummam acquirat. Decantato hoc aceto aliud affundi poteſt, opusque repeti, quoties viſum fuerit: poſt filtrationem inſtituatur liquoris evaporatio ad cuticulam ſaltem, atque tum cryſtallos impetrabis elegantiſſimus.

§. 11. Alio adhuc modo *tinctura Martis fit aperitiva*, ſi batitura ferri cum ſale ammoniaco mixta repetitis vicibus ſublimetur, juxta ZWELFERUM, donec flores habeantur flavi; ex his enim tinctura non difficulter paratur per affuſum ſpiritum vini. Svavior tamen eſt, quæ non modo e floribus, ſed & capite mortuo hæmatitis aliquoties ſublimati cum ſale ammoniaco ad mentem Polemanni conficitur; nam & ſapor hujus tincturæ hæmatitis longe gratior eſt, & odor egregius. Aſt *tinctura hæmatitis* adſtringens, cum ſpiritu ſalis aut nitri parata, cum tinctura ſulphuris vitrioli pene coincidit.

§ 12. Porro *Antimonii tinctura* vera non eſt de nihilo, quam vero e ſcoriis reguli Antimonii per ſpiritum vini rectificatum extrahunt, tartarum magis ſapit quam antimonium. Ita namque *cor alliorum* etiam *tinctura* cum nobiliore menſtruo parata, dubio pro-

cul excellentior eſt; vulgo notæ longe inferiores ſunt, ac ſæpe vix quicquam de coralliis participant. Communiter corallia ſolvunt in ſpiritu ſuccove quodam acido, ſolutionemque ad conſiſtentiam mellis abſtrahunt, affunduntque menſtruum, pro lubitu vel ſpirituoſum vel urinoſum volatile, vel acre aromaticum &c. quod ipſum, ubi tinctum erit, nomine inſignitur tincturæ coralliorum. Fateor attamen me hactenus nihil aliud circa uſum harum tincturarum obſervare potuiſſe, quam idem illud, quod ſpiritus v. g. cordis C. vel antiſcorbut: præſtare ſolent quot die.

§. 13. Tam arduus non eſt labor circa *tincturam ſuccini* vel *eſſentiam ambræ*. Succinum enim in digeſtione blanda ſpiritum vini rectificatiſſimum promte tingit. Ambra per ſpirituoſa quodammodo acidulata itemq; per oleoſa ſolvitur. Ita ſulphur ipſum vulgare cum ſpiritu vini rectificatiſſimo ſuum communicat colorem; aſt magis radicalis eſt ſolutio, quando per oleoſa dephlegmata vel cum ſale fixo acuata negotium inſtituitur. Hac ratione peculiari nomine dictus *balſamus ſulphuris* conficitur, *aniſatus* cum oleo aniſi, *terebinthinatus* cum oleo terebinthinæ, *ſuccinatus* cum oleo ſuccini &c.

CAP.

CAP. IX.
De
Extractis.

§. 1.

CONveniunt certe cum essentiis vel Tincturis extracta hoc in puncto, quod vis medicamentosa relictis heterogeneitatibus beneficio menstrui convenientis extrahatur e concretis, in eo autem differunt, quod essentiæ vel tincturæ liquorem illum, quocum parantur, aut ex toto, aut ex parte, servent commixtum, cum econtra menstruum omne ab extractis ita separetur, ut deposito fluore vel ad siccitatem totalem, vel ad consistentiam saltem spissiorem instar mellis reducantur.

§. 2. Ex tincturis itaque & essentiis extracta fiunt commode, si modo quæ cum spiritu vini parata sunt, e balneo Mariæ destillentur, donec menstruum rursus abstractum fuerit: Si vero aqua saltem adhibita sit ad extractionem, non opus est destillatione, cum nullum menstrui desiderium esse possit; sufficit ergò humiditatem evaporasse tantùm ex aperto humilique vitro.

§. 3. Attamen notetur, non indistincte omnia, quæ extrahi possunt sub specie Tinctu-

ſarum vel eſſentiarum, extractum etiam præbere laude dignum. Etenim quæ nimis ſunt volatilia, tam odore, uti flores roſarum, violarum, liliorum convallium, primulæ veris atque ſimilia, quam ſapore, uti cochlearia, radix armoraciæ &c. ea profecto non niſi extractum ignobilius relinqvunt, quoniam potiores vires ab igne propulſæ per deſtillationem vel evaporationem avocantur.

§. 4. De cœtero adhibemus, aquam ſaltim ſimplicem ad extrahenda ea, quæ minus odorata ſunt, ſapore tamen fixiore gaudent, amaro præcipue, uti ſunt *colocynthis*, *centaurium minus*, *carduus benedictus*, *fumaria*, *radix gentianæ & cichorii &c.* aut acri, ut *radix eſulæ*, *atque aſari*, *hellebori nigri*, *folia ſennæ*, *ſabina &c.* aut dulci, ut *glycyrrhizæ & polypodii radix*, aut adſtringente uti *radix tormentillæ*, *ireos aquaticæ &c.*

§. 5. Quæ odorata ſunt, coctionem tamen tolerant, oleoſa præcipue & reſinoſa concreta, his affundi vinum aut ſpiritum vini conſultius eſt, partim quia felicius extrahuntur particulæ, quas Aqua non attingit, partim quia ſpirituoſum illud, quod abſtrahimus, id quoque ſervat, quod odoratum eſt & volatile. Ad hunc modum fit *extractum radicis angelicæ*, *leviſtici*, *galangæ*, *zedoariæ*, *corticum citri & aurantiorum*, *cinamomi*, *croci*, *menthæ*, *meliſſæ*, *majoranæ*, *&c.*

§. 6.

§. 6. Idem menſtruum ſpirituoſum poſtulant etiam minus odorata ſed reſinoſa, uti ſunt *lignum ſanctum*, *& agallochum*, *radix jalappæ*, atque ſimilia. Hujusmodi enim duriora, ſi inciſa & contuſa aliquandiu digerantur in ſpiritu vini, extractumque poſt colaturam abſtrahatur, donec evocatus ſit ſpiritus, tum in fundo vitri apparebit reſina mollis phlegmate perfuſa, quam leni calore deſiccare poteris ita, ut depoſita viſciditate penitus fiat friabilis.

§. 7. Quod autem plantas magis ſucculentas attinet, hæreo, annon omni poſthabito menſtruo humor ſaltem expreſſus depuratusque ac inſpiſſatus loco extracti recipiendus ſit. Quid quæso ſimilius extractis eſſe poteſt, quam *ſuccus* inſpiſſatus *abſinthii*, *chelidonii majoris*, *fumariæ*, *ſcordii &c.* item *rob baccarum ſambuci*, *juniperi*, *ribium*, *berberum &c.* *pulpa caſſiæ*, atque ſimilia. Neque enim maceratione indigent, aut coctione diuturna, quæ adeò prompte ſuccum largiuntur meliorem.

§. 8. Depurari autem ſucci tales ulterius poſſunt, ſi minus fuerint puri. Ita enim exotici cumprimis ad nos delati ea ſæpe ſordium, ſabuli, ſtipularumque copia ſcatent, ut interdum, ſi bonum a malo ſeparare velis, ultra dimidium pondus rejiciendum ſit. Cujus

profecto rei non alia existit causa, quam vel collectorum, vel mercatorum incuria neglectusque in colligendis iis ac asservandis, aut potius malitia in iisdem adulterandis, ob spem majoris inde captandi lucri.

§. 9. Exempli loco sit scammonium, cujus equidem correctionem variis modis instituunt. Quidam præeunte Galeno id ipsum in malo Cydonio excavato inclusum coquunt, exemtumque sub nomine diagrydii vendunt. Alii scammonio pulverisato succum cydoniorum vel citri, vel rosarum, vel violarum admiscent, post desiccationem jam jam paratum est scammonium cydoniatum, citratum, rosatum, violatum. Alii scammonium corrigunt fumo sulphuris accensi, quod sulphuratum dicat, aut aspergunt spiritum sulphuris vel vitrioli; aliis alia placent. Mihi neutrum eorum arridet, siquidem nulla est addendorum vel corrigentium necessitas, si modo admixtæ feces inde separentur, quod tamen his modis non æque fieri potest. Optimum proinde est, si tantummodo per spiritum vini fiat extractio resinæ scammonii, ad eundem modum, quo parari resinam jalappæ dixi.

§ 10. Tali depuratione non indiget *Aloë*; quamdiu enim vere lucida succotrina ad nos affertur, non opus est, ut multum in defecanda

canda caballina infudemus. Si vero eligatur optima, quorfum folutiones & extractiones per aquam endiviæ atque cichorei, per fpiritum vini, acetum deftillatum, fuccum violarum & rofarum? Scilicet ut fpeciofiore fub titulo habeatur Aloë lota, extracta, correcta, violata, rofata &c. DOLEO certè mifellorum vicem, qui non intelligunt ab ejusmodi purgante ignavo non tam corrigentia & pondus augentia requiri, quam ftimulantia.

§. 11. Alia eft ratio circa *opii* præparationem obfervanda. Plerique toftionem fuadent five fortem deficcationem, ut fulphur illud volatile narcoticum difcutiatur. Nonnulli ad eandem virulentiam obtundendam infpergunt fpiritum falis, vitrioli, vel fulphuris, acetum vini, fuccum citri, fimiliaque acida. Contra nec defunt, qui alcalia potius adjicienda jubent, fal tartari, vel oleum tartari per deliquium. Ad mentem autem L'ANGELOTTI folvitur opium in fucco cydoniorum, poftmodum adjicitur fal tartari, ut per fermentationem opium non modo felicius diffolvatur, fed & Gas exhalet noxium.

§. 12. Quanquam vero *laudanum* hoc *fermentatum* mihi non difpliceat ob depurationem, in opio requifitam, nihilominus & fermentatio curiofior & falis tartari additio eandemq; meretur cenfuram, quam toftio & cor-

rectio per acidorum alcaliumque admixtionem instituta. Testor enim sanctè, hactenus vel centies me Tincturam opii saltem cum spiritu vini extractam, item opium in vino Malvatico aut succo cydoniorum solutum depuratumque ac inspissatum ægris tuto exhibuisse, sine omni alio corrigente, ac etiamnum distribuere tota fere die; ita ut certo persvasus sim, narcoticam illam virulentiam nullibi metuendam esse in exhibitione opii depurati, si modo legitima servetur dosis, & insimul attendatur, quibus & quo in morbo detur.

§. 13. Sed jam satis dictum est de præparationibus extractorum, qualia e plantis peti solent. Animalium partes nihil fere hic conferunt, nisi fortasse quis e *castorei* essentia ***extractum*** parare velit, vel etiam *Gelatinas* per decoctionem fortiorem *cornu cervi, eboris*, similiumque in aqua simplici factam huc revocet. Similiter & mineralia huic operi minus commoda videntur, præterquam quod essentia Martis cum succo pomorum abstracta *extractum chalybis*, solutio coralliorum in succo citri inspissata *corallioram extractum* nonnullis præbeat.

CAP.

CAP. X.

De
Sublimatis.

§. 1.

QUæ arte Chymica ſublimantur, eorum alia recipiuntur ſolita litaria, alia cum additamento. Per ſe ſublimatur e vegetabilibus unica *benzoë*, cujus pulvis ollæ imponitur humili, ab impoſita pyramide chartacea clauſæ; ita enim colligitur a ſubjecto igne elevata ſubtilior reſinæ pars, quam *flores benzoë* vocant. Ut dicam tamen quod res eſt, exiſtimo tali ſublimatione facile ſuperſedere poſſe, qui tantummodo aſam dulcem ſeligere, aut ſi viſum fuerit, eandem in ſpiritu vini rectificatiſſimo ſolutam præcipitare per affuſam aquam, iterumque poſt abſtractionem ſpiritus vini deſiccare novit.

§. 2. E mineralibus ad ſublimationem idoneum eſt præcipue ſulphur, nam & hoc altius requirit ſublimatorium, & longe majori copia flores ſuppeditat, ſi moderatus ſaltem adhibeatur ignis gradus. Non neceſſum autem eſt, ut vel laterum farina, terra ſigillata, bolus aut corallia vel etiam ſal commune aut vitriolum calcinatum admiſceatur ſulphuri ad impe-

impediendam accensionem, cum ignis moderamen id unice præstet; Multo minus mihi probatur Myrrhæ, Thuris, mastiches, aloës, crocive adjectio, quippe quæ nihil aliud *floribus sulphuris* hinc sublimandis conferre poterunt, quam fœtorem ex empyrevmate nascendum.

§. 3. Sublimantur alias a nonnullis etiam *zinci flores* arcanum quorundam in oculorũ affectibus; crediderim tamen non impari successu in eorum locum substitui nihili album vel tutiam præparatam, quæ pretio quidem viliore prostant, ejusdem tamen indolis sunt ac dignitatis. Si cui vero vulgaria sordent, nec alia æque arrident ac secretiora, cum etiam suo abundare sensu non invitus patior.

§ 4. Qui *antimonii flores* optant, ii vel antimonium crudum vel regulum ejus pulverisatum committunt sublimatorio aut cucurbitæ terreæ vitreæve; adhibito igne nudo vel arenæ ascendunt flores in sublimatorii quidem summitate albi, in medio flavi, tandemque rubri. Consistit autem omne artificium in ignis regimine; is enim si debilior fuerit parum vel nihil sublimabitur: si fortior antimonium fundat, idem erit.

§. 5. Habet præterea egregium usum sublimatio in *cinnabaris nativæ* præparatione. Si quis enim mineram cinnabarinam probe pulverisatam

verisatam in cucurbita vel retorta terrea igni exponat nudo fortique, elevabitur quidem in sublime argentum vivum, proxime autem cinnabaris nativa satis elegans. Quo ditior fuerit minera, hoc major cinnabaris habebitur copia; mihi aliquoties id tentanti reddidit quævis libra Ungaricæ mineræ utplurimum uncias duas cinnabaris, relictis in fundo cineribus omnino exhaustis levibusque.

§. 6. Hactenus de his, quæ sine additamento sublimantur, nunc ad ea, quæ mixturam quandam præsupponunt. Videlicet qui ad imitationem nativæ *cinnabaris factitiam* præparare amant, ii primum sulphuri liquefacto adjiciunt Mercurii vivi quadruplum, spatula lignea tamdiu agitando mixturam, donec probe unita hæc ipsa fuerint. Refrigeratam hinc massam in pulverem redigunt, quem e cucurbita terrea igne nudo sublimant.

§. 7. Majoris pretii est *cinnabaris antimonii*, ad cujus elaborationem recipimus pulverem antimonii cum æquali, aut potius duplo pondere Mercurii sublimati mixtum. Tum vero destillatio instituitur per retortam vitream amplioris colli, atque ita igne arenæ prodit ab initio butyrum antimonii; deinde ut cinnabaris ascendat, intendendus est caloris gradus per aliquot horas, donec sublimatione peracta caput mortuum reperiatur non anti-

moniale

moniale amplius aut cinnabarium, sed exhaustum. Quod si tamen residuum adhuc sit striatum insta antimonii, vel ob insufficientiam Mercurii sublimati, vel ob ignem debiliorem, optimum erit adjecto recente sublimato reiterare opus; donec sub majore ignis tortura cinnabaris ad nutum sublimetur. Non opus est autem, ut sæpius rectificetur per sublimationem, quæ prima etiam vel altera vice purior est.

§. 8. Quem vero addimus *Mercurium sublimatum*, eum non raro quidem satis laudabilem emere licet; nihilominus qui magis securus de eo esse cupit, nec virulentiam in præparatione exhalantem timet; recipiat vel Mercurium vivum; vel, quod aliis placet in aqua forti solutum & post abstractionem phlegmatis crystallisatum: huic addatur æquale pondus salis decrepitati, vitriolique calcinati ad rubedinem: fiat sublimatio per cucurbitam vitream, ut per superimpositum alembicum humiditas in principio ascendens egredi queat.

§ 9. Ut autem Mercurius ita sublimatus, cum summe corrosivus sit, mitigetur, instituenda est de novo ejusdem sublimatio, & quidem aucto Mercurii vivi pondere. In quo ipso determinando cum titubent plures, dicam quid compertum habeam; nimirum aut

plus

plus justo additur de Mercurio vivo, ita ut e. g. anatica servetur proportio; tum *Mercurius* quidem *dulcis* non illaudabilis est, at non parum turpis ob adhærentem Mercurium vivum; qui simul ascendit salibus non saturatus: si minus e contra de Mercurio vivo sumas, e. g. dimidium, minus tutus est ejusdem usus, ideo, quod salia Mercurio non saturata suam quodammodo acrimoniam corrosivam servent. Vix itaque errare poteris, si ad libram unam Mercurii vivi recipias sublimati uncias viginti; ita namque per cucurbitam vitream non semel præparavi Mercurium dulcem elegantissimum, quem sine ulteriori sublimatione ægris exhibere nunquam dubitavi.

§. 10. Dicendum hic quoque foret de floribus hæmatitis Martisque, qui cum sale ammoniaco sublimari solent, sed eorum jamjam superius facta est mentio Cap. 8. de Tincturis. §. 11. Hic loci lubens eosdem prætereo, præsertim cum sapor istiusmodi florum adeò sit intolerabilis, ut ne rusticus quidem minus sensatus, nedum politior gens, eos probare queat sine totali aversione. Sive enim in substantia exhibeantur, sive, ut occultentur, aliis admixti, nihilo meliores erunt, ita ut mihi religio sit, in tanta medicamentorum minus ingratorum copia talia præscribere,

ſcribere, quæ miſeros ægrotantes excruciare adeo ac tantum non enecare valent.

§. 11. Quid dicam de ſublimatione ipſius vitrioli cum ſale ammoniaco inſtituta? hoc etenim pacto *ſulphur vitrioli anodynum*, ſive primum ens veneris adeò decantatum ab Helmontio, parari volunt, viri etiam non infimæ notæ. Nempe in gratiam tyronum adducam errores proprios. Vitriolum videlicet Martis aut ejusdem caput mortuum a deſtillatione reſiduum ſi ſublimetur cum ſale ammoniaco poſt reiteratas ſublimationes exhibet quidem flores ex parte vitriolicos vel Martiales, aſt neque dulces neque anodynos. Si vero hermaphroditicum ſumas vitriolum aut ex toto venereum, tantum abeſt acquiri ſvavem panaceam, ut potius ſublimatum nauſeoſum fiat & omnino vomitorium. Fallunt autem, & falluntur omnes titulo veneris, quem, uti arbitror, in ſenſu communi non adhibuerunt veri Philoſophi, ſed figurato. Quemadmodum igitur non niſi qui ſtupidus eſt, Mercurium ſublimatum, arſenicum, auripigmentum & ſimilia, (utpote quibus nominibus rem occultarunt,) ad opus Philoſophorum reciperet; ita profecto nec cuprum optant, qui ſulphur dulca vitrioli non vulgaris amant.

CAP.

CAP. XI.

De
Magisteriis & Præcipitatis.

§. 1.

DUo sunt quæ ad Magisterii confectionem requiruntur, nempe primum est, ut concretum solvatur a convenienti menstruo, alterum est, ut ab eodem iterum liberetur atque reducatur in pulverem. Menstrui vices sustinent potissimum acida, succus citri, acetum vini destillatum, vel quod concentratius est, spiritus viridis æris, item spiritus nitri, salis, aqua regis & similia. Præcipitatur autem soluti pulvis e menstruo, quando vel diluitur hoc ipsum per aquam copiosius affusam: vel ubi alteratur menstruum ab alcalibus, aut etiam fortioribus acidis: vel denique, cum per destillationem aut calcinationem menstruum a soluto expellitur.

§. 2. Nimirum duriores animalium partes, *cornua*, *dentes*, *ossa & ungulæ cum matre perlarum & margaritis* prompte solvuntur ab aceto destillato, vel spiritu viridis æris. Si lubet, abstrahatur menstruum per destillationem: sin minus, instilletur spiritus vitrioli

aut oleum tartari, aut saltem affundatur sufficiens aqua, tumque in fundum præcipitabitur magisterium, a quo supernatans liquor per decantationem & filtrationem separari potest, ut omnino desiccetur. Annon autem hæc ipsa præparatio sit magis destructoria aut saltem supervacanea quam utilis atque necessaria, de eo judicent alii. Siquti enim neque *magisterium succini* prærogativam habet ullam præ succino pulverisato, neque *lac sulphuris* præ floribus ejus; ita cariora quidem sunt ejusmodi *magisteria Cornu cervi*, *Eboris*, *lapidum cancrorum*, *&c.* at nihilo meliora horum pulveribus, imo vero & ignobiliora, si pro scopo præcipitandi vel absorbendi, ad quem a natura destinata sunt, exhibeantur.

§. 3. Idem de *magisterio coralliorum* sentiendum arbitror, non obstante succo citri, quem tanquam magis cordialem ad illorum solutionem recipiunt. Quicquid enim corallia præstant, id operantur ut lapidosa atque ideo pulverisata sunt optima. Nam & idem judicandum est de *magisterio cordiali atque nephritico*. Nihil interest, utrum ad solutionem gemmarum, *granatorum*, *hyacinthi*, *sapphiri*, *similiumque*, vel etiam ad solvendos *lapides* ignobiliores, *Judaicum* puta, *lyncis*, *ætitem & specularem* recipiamus spiritum ni-

tri,

tri, an vero ſpiritum ſalis, aut quemcunque alium. Etenim ſolutio ipſa ſalſa eſt, quemadmodum & liquor ille qui poſt evaporationem phlegmatis ex reſiduo per deliquium fluit; atque ideo inter murias locari meretur. Si quis vero magiſterium exinde præcipitatum atque ab omni ſalium conſortio liberatum expetit, ei, ſi libet, licebit pulverem quærere per tot ambages, quem ſola contuſione parare poſſet.

§. 4. Sed videamus porro quid magiſteria valeant e metallis reliquisque mineralibus. *Aurum* ipſum aqua regia ſolutum præcipitatur ab inſtillato oleo tartari per deliquium facto; deinceps edulcoratur præcipitatum ſolare per aliquoties affuſam aquam, deſiccaturque leni calore. *Aurum* hoc *fulminans* dictum ſi quid valet, id profecto ſalibus admixtis debet; quo magis enim edulcatur, hoc ignavius eſt in deturbandis alvi fecibus aut commovendo ſudore. Quemadmodum vero non ſatis edulcatum, quod ex pondere ſolis aucto manifeſtum eſt, ſæpe minus ſecure datur, præſertim infantibus, ita vanitatis non leve argumentum præbet, ſi quis omnia inſtar pictorum auro exornat, ut ſaltem ſpecioſo titulo ſuperbire queant Güldische Schweiß und Sch--Pulver. Quaſi vero ſudorifera & purgantia nobis deſint, ut auro abutendum ſit.

 §. 5. In

§. 5. In genere autem occaſione auri mineo, nullum concretum ſuggere magiſterium laudabile, niſi quod in præparatione verè melioratur. Ecquid vero putas e lapidibus fieri poſſe aut oſſibus? Quid ex auro? quod ſua natura adeo fixum eſt, ut ad uſum medicinalem nulla, vulgo uſitata, ratione reducatur. Aſt, quantum mutetur. *Mercurius, Mars* atque præ cæteris *antimonium*, ex jam dicendis conſtabit. Neque *bismuthum* inter coſmetica numerari poterit, niſi ſolutum per aquam fortem, iterumque præcipitatum affuſa aqua, penitusque edulcoratum; Siquidem candor ille lacteus, quem præ ſe fert magiſterium hocce, in crudo nusquam apparet.

§. 6. Quod Martem concernit, notum eſt, eundem ab acidis facile arrodi atque cum iis in vitriolum abire. Si quis tamen purum expetit *vitriolum Martiale*, is ſolvat limaturam Martis in ſpiritu ſulphuris vel vitrioli, factaque evaporatione ad cuticulam cryſtallos colligat poſt aliquot dies in loco frigido concreſcendas. Naſcitur autem hinc vitriolum non ingratum adeo & nauſeoſum, quale ob admixtam Venerem vulgare eſt, ſed dulce, ut inter alia pro uſu interno etſam exhiberi queat. Quod ſi hoc ipſum deſtilletur expellaturque menſtruum corroſivum,

vum, *crocus Martis* remanet egregie *adstringens*, qui longe superat crocum Martis cum sulphure paratum. Minore sumtu eandem *terram vitrioli dulcem* impetrabis, si saltem admixtum cuprum e capite mortuo vitrioli vulgaris cum cura separes. Pro scopo autem aperiendi non contemnendus est, quem cum nitro paramus. Hujus enim triplum cum limatura Martis probe fusum in crucibulo *crocum* dat post nitri segregationem cum quovis *aperitivo* certantem, præsertim cum tantillum nitri, quod in eo forte relinquitur, ejusdem operationem magis juvet quam impediat.

§. 7. Qui circa Mercurium versantur, labores omnes hic loci non attingam, sed præcipitatum saltem & turpethum minerale commemorabo, tanquam ea quæ frequentiori adhuc in usu sunt. Solvunt autem communiter argentum vivum in aqua forti sive spiritu nitri: alii loco hujus affundunt spiritum sulphuris vel vitrioli, cohobantque tribus quatuorve vicibus. Et quandoquidem hoc ipsum præcipitatum nimis corrosivum est, sciendum, id melius mitigari non posse, quam si finita destillatione ignis ita intendatur, ut retortæ fundus aliquandiu candeat, menstruique acrimonia caustica magis expellatur; quem in finem nec abs re erit, si in

aqua ſimplici aliquoties coquatur, aut ſpiritus vini affuſus deſuper accendatur. Diſcrimen inter hæc præcipitata Mercurialia tantum equidem non eſt, ſolent tamen ſub nomine *Mercurii præcipitati* ordinarie illum exhibere, qui cum ſpiritu nitri vel aqua forti paratus eſt: *turbith* vero *minerale* vocant, quod cum ſpiritu ſulphuris aut vitrioli conficitur, vel etiam quod e Mercurii ſublimati ſolutione per oleum tartari præcipitatur.

§. 8. Plura ſunt quæ ex antimonio parantur; & quidem *Mercurius vitæ* dicitur, qui ex butyro antimonii rectificato per affuſam aquam præcipitatur, vomitorium ſatis tutum, ſi modo rite edulcoretur. Imbibit enim hæc ipſa acidum illud Mercurii ſublimati, atque ideo, rejecto per rectificationem phlegmate, ſpiritum præbet vitrioli Philoſophicum ut vocant, qui tamen revera magis e ſale quam vitriolo natus eſt. Immutatur autem vis illa emetica antimonii, ſi ſpiritus nitri butyro antimonii inſtilletur, donec, ceſſante omni ebullitione, ſpiritus nitri prævaleat. Finita deſtillatione per retortam vitream calcinandum eſt reſiduum in crucibulo, quamdiu ſpiritum nitri ſpirat, tumque perfectum eſt *bezoardicum minerale*.

§. 9. Ut vero *bezoardicum ſolare* fiat, adjiciunt auri ſolutionem cum aqua regia factam,

ctam, mixtamque cum butyro antimonii spirituque nitri destillant dicto modo: Ut *lunare* fiat, affundunt solutionem argenti purissimi cum spiritu nitri factam: Ut *Joviale* vel *Martiale* fiat, satis est, si loco antimonii vel reguli simplicis sumatur regulus Jovialis vel Martialis. Dicitur autem regulus antimonii, quando hoc ipsum adjecto tartaro nitroque in crucibulo liquefactum inque calicem fusorium effusum, secretis scoriis, conicam assumsit figuram. Huic regulo si porro addas stannum Anglicum; redibit ex fusione regulus Antimonii Jovialis, si Martem, Martialis.

§. 10. Scorias jam dictas non plane rejicimus; sunt enim qui iisdem spiritum vini rectificatissimum affundunt, ut digerendo acquirant. Tincturam antimonii: item qui easdem in aqua coquentes post colaturam præcipitant ope aceti, ut habeant sulphur antimonii auratum. Cui non multum dissimilis est crocus metallorum, quem ex Antimonii nitrique partibus æqualibus parant; hæc ipsa namque simul fusa post refrigerium massam referunt obscure rubentem, ideoque hepar antimonii dictam, quam per aquæ repetitam affusionem ac decantationem ab adjecto nitro liberare oportet.

§. 11. Recipiendum autem est triplum ni-

 tri ad

tri ad unam antimonii partem, si quis antimonium diaphoreticum intendit: Qui loco antimonii regulum Jovialem cum nitro fundit, antihecticum impetrat Poterii: qui regulum Martialem, eodem modo conficit antimonium diaphoreticum Martiale, Scilicet quod in bezoardici mineralis, jovialis &c. præparatione spiritus nitri præstat, idem in hoc antimonio diaphoretico & antihectico Poterii valet nitrum ipsum, nempe ut inter solvendum simul antimonium figat, atque ex potenti vomitorio benignum reddat sudoriferum.

CAP. XII.

De

Ustis & Feculis.

§. I.

Comprehenduntur sub ustorum nomine duo, cineres videlicet, & quæ ad albedinem usque calcinata sunt. Rariora in officinis prostant e plantis; si enim *cineres sarmentorum vitis & spongiæ marinæ* excipias, nihil reperies amplius. Nec obstat vegeta-

bilia

bilia præ cæteris esse inflammabilia, siquidem sciendum est, ex horum cineribus meliorem saltim partem, hoc est, rejecta inutili terra, sal fixum asservari.

§. 2. Ex animalibus plurima occurrunt: *cineres ciconiæ, picæ, corvi atque noctuæ, leporis, erinacei, & talpæ, ranarum cancrorumque fluviatilium &c.* Elegantiora sunt calcinata *ossa, cornua, dentesque* uti *ossa humana cum cranio, cornu cervi, ebur atque similia.* In quibus parandis nullum est artificium, si modo in vase apertó comburantur igne satis valido. Etenim in vase clauso calcinata non alba redduntur, sed omnino nigra instar carbonũm, & quamvis in vase aperto usta satis appareant candida, interiora tamen nigredinem servabunt, nisi fortius reverberentur.

§. 3. Nimirum diffiteri non possum, hac ratione particulas magis volatiles atque activas, oléosas puta & salinas, expelli, corpusq; relinqui exhaustum terreumque. Differentia enim non levis est inter cornu cervi e. g. recens & ustum, præsertim si pro scopo sudorifero expetatur. Atque ideo ut leviore calcinetur caloris gradu, suspendunt fragmenta ossium vel cornuum in alembico, partemque superiorem vesicæ, donec ab ascendente inter destillandum vapore emolliantur tandem ac friabilia fiant.

§. 4. Alii huic vaporosæ, seu philosophicæ, ut dicitur, calcinationi substituunt decoctionem in aqua simplici. Verum postquam gelatinosæ particulæ ita perfecte sequestratæ sunt, quid aliud superesse potest, quam terra iners, a cornu cervi usto vix quicquam diversa. Itaque satius est ad expellendum, aperiendum vel resolvendum usurpare cornu cervi non ustum, unicornu marinum, lapides cancrorum, dentem apri, mandibulas lucii piscis & similia; nihilominus pro scopo absorbendi & præcipitandi sua quoque laus ustis constabit non immerito.

§. 5. Sunt enim usta hæc ejusdem dignitatis & conditionis cum *feculis, quas e radice ari, pœoniæ, bryoniæ &c.* conficiunt. Scilicet dum recens radix affusa aqua contunditur, exprimitur atque ad subsidentiam feculæ seponitur, liquor autem supernatans, qui saporem viresque plantæ continet, rejicitur ex industria, nihil profecto remanet, quam insipidum, de facultate concreti nihil aut certe parum participans. Observavi tamen in subjectis tenerioribus, quæ terrea æque ac Martialia ægre ferunt, feculas re ipsa fuisse absorbendo utilissimas.

§. 6. Quodsi a mineralia transire placet, pauca occurrere videbuntur e lapidibus calcina-

cinata *Silices* nempe, *corallia* & forte *pumex*, ut eorum nativa durities aliquantulum emolliatur, igne ſat forti exuruntur, antequam pulveribus dentifriciis miſceantur. Alias notiſſimum eſt, aquam, qua cum calx viva extingvitur, vim medicamentoſam non vanam ex ejusmodi ſaxo axtreme calcinato acquirere. Servant proinde uſta etiam qualemcunque medendi vim, aut certe impetrant eandem ſub vehementiore ignis tortura.

§. 7. Teſtatur id ſatis vel unicum inter metalla minium, quanta ſit ignis virtus in alterandis corporibus, cum plumbum ſua natura nigricans atque obſcurum, per ſolam calcinationem diuturniorem rubore tingatur longe ſuaviſſimo. Nihil dicam de ære uſto, quod ex limatura cupri communi more parari ſolet, in cujus defectu caput mortuum vitrioli venerei vel viridis æris commode ſuccedit. Certum tamen eſt, in repurgandis exiccandisque ulceribus remedium inde confici non illaudabile. Similiter & crocum Martis, quem ſola ferri ignitione ſæpius repetita parant, non attingam, quamvis & hic ipſe ſatis exitat utilis, ſi modo alia non admixta ſint heterogenea.

§. 8. Nec deſunt, qui antimonium per calci-

nationem tædiosam convertunt in cineres, videlicet ut exhalante sulphure volatili & arsenicali, quod ajunt, fixum servent magis solare. Miror autem non parum, quamobrem non respuant cinnabarim antimonii, quæ tamen idem sulphur volatile continet, postquam salia corrosiva Mercurii sublimati abripuerunt corpus metallicum. Adhæc prærogativam vere nullam cineres aut vitrum antimonii habent, præ floribus ejus atque hinc parato tartaro emetico, cum quæ sulphur continere fixius creduntur æque vehementer commoveant corpus, ut in substantia ne quidem ad grana tria exhiberi possint pro vomitorio sine metu majoris periculi.

§. 9. Interim non repugnabo, si quis curiositatis ergo *incinerationem antimonii* sustinere velit. Neque enim fumus ille inter calcinandum copiosius exhalans impune inspiratur, quod plures non una vice mecum experti testabuntur; Siquidem plerique exinde perpessi sunt cephalalgiam vehementem, nonnulli dolores artuum atroces, alii vomitus atq; alii suffocationes respirationisq; summam difficultatem. Talia qui non veretur, tentare poterit calcinationem antimonii per radios solares, ope speculi ustorii instituendam; nam & qui hujusmodi philosophicum laborem

rem pene ad sidera extollunt, vix ultra duodecim grana progressi sunt. Ac metuo, si majore in quantitate parari debeat antimonium illud plus quam diaphoreticum, ne tandem & oculi conspicilli viridis pertæsi fiant & nares antipestilentialem desiderent larvam.

§. 10. Ad eosdem labores magis curiosos, quam utiles referri etiam meretur *vitrificatio antimonii*, quæ non aliam requiri tenchirisin, quam ut cineres antimonii rite parati forte fundantur igne. Sunt autem cineres perfecti, quando antimonium fumare cessat, postquam supra carbones in vase fictili diu calcinatum est. Qui supra laminam ferream calcinationem instituunt aut instrumento simili cineres inter calcinandum, vel etiam massam dum fluit in crucibulo, commovent, ii certe non nisi obscurius adipiscuntur vitrum. Hac in re cum plurimi peccent, non desinunt tamen aliunde rationem obscuritatis in vitro petere. Unde sunt, qui cineres non nisi recentes sumere diemque maxime serenum huic operi destinare jubent. Verum id falsum esse propria didici experientia; recepi enim tentandi gratia cineres ultra biennium in vitro, quos saltem papyrus tegebat, asservatos, & quanquam die

Aprilis

Aprilis pluviosa & tempestuosa negotium aggrederer, vitrum tamen per se hyacinthinum, addito sulphuris tantillo eleganter rubicundum; cum duplo borracis, instar succini flavum, cum triplo ejus citrinum maximeque pellucidum acquisivi, qualia e recenti cinere cum quoque paravi & alio tempore.

§. 11. E quidem is ego non sum, qui aëris vim in alterandis corporibus etiam exustis negem, Alumen profecto, quod post calcinationem fere dulce deprehenditur, saporem illum adstringentem recuperat, si aliquandiu liberiori exponatur aëri. Caput mortuum vitrioli nitrique eodem pacto regeneratum vitriolum nitrumque monstrat, atque si de novo destilletur, spiritum præbet acidum, qui non phlegmatis sed salis accessum ex aëre docet. Attamen nulla me ratio urget, qua inducar ut credem, cineres antimonii veteres, aut si recentes etiam die minus serena fundantur, vitrum reddere obscurius. Sed fortasse non displicebit excusationis inventio, qua etiam alias, e. g. antimonium diaphoreticum, si vomitus moveat enormes, non male paratum sed antiquum & ex aete resuscitatum volunt; Ecquis vero cum aura certabit cœlove, aut annis præteritis?

SOLI DEO GLORIA.

CATA-


JO. FRANCISCI VIGANI
Veronensi.

MEDULLA CHYMIÆ

Variis Experimentis Aucta
multisque Figuris illustrata.
Cum
Indice Rerum & Verborum
Locupletissimo.



NORIMBERGÆ
Apud Hæredes JO. DAN. TAUBERI
M D CC XVIII.



Epiſtola qvondã conſcripta ab Amico Londinenſi ad Authorem commorantem in Oppido

Newark ſuper *Trent.*

DOMINE VIGANI

LIteras tuas ſuaviſſimas in delitiis, & ſinu ſemper habeo, amicitiam enim tuam, & commercium magni æſtimo, & immortaliter æſtimabo; non mediocriter gaudeo, te inter otia ruris Chymicis operationibus gnaviter incumbere, artemqve colere, humano generi adeò ſalutarem, & fructuoſam, nullo ferè opere vel â naturâ, vel arte perfici ſolito ſine qvâdam mixturâ Chymiæ; mihi enim mundi machinam pervolventi nihil apparet præter unio, & ſeparatio Atomorum circulantum ſe-

cundùm leges, & principia illis impressa ab omnipotenti Creatore, undè ars illa, quæ has catholicas & feracissimas naturæ operationes imitatur, in omni ævo meruit, & habuit qvosdam eximios, & illustres viros, ut Fautores, & Patronos; & in hoc nostro suis non caret Mæcenatibus. Non possum non vehementer lætari, à literis tuis, & famâ audire, *tuam Medullam Chymiæ* (libellum mole parvum, verùm totum ut opinor, Medulla Scatentem) in *Italiâ, Hispaniâ, Galliâ* & *Germaniâ* generatam, in *Hollandiâ* natam, & in lucem primò editam, nunc in *Angliâ* gravidum esse, & apud nos parituram fætum perfectissimum, tibiqve simillimum; hominem te patientem, vel potiùs durum ac pænè crudelem existimabit literatus orbis, qvi tanta arcana adhuc teneas, qvanta lucem, luctum, & salutem ferant miseris mortalibus, nil ferè præter ignorantiam suam adhuc scientibus, vix enim in corpore sapiet unqvàm humana mens; qvousqve igitur & tibi, & nobis invidebis? tibi maximam laudem, nobis voluptatem. Utinam tuæ novæ editioni adjungeres descriptiptiones, & figuras tuorum furnorum, vasorumq; ad vivum sculptas, simul cum illis tibi, & mihi

mihi olim communicatis ab ingenio-ſiſſimo noſtro amico D. TROUBECK, viro mirum in modum ſagaci, & in Chymia peritiſſimo, in qvâ *Tachenio* ſuo, ſi non major, non minor eſt, ſint ergò *pares* & *duo Fratres*. Tu, mi VIGANI, ſine luto, ſine ferro, ſine ſumtu, aut labore fingis fornaces tuos; Opus ſanè *Dædaleum*, ingenio tuo *Architectonico*, verèq; *Italico* dignum; ſed qvod magis tibi laudi ſit, à crypticâ illâ, & Hieroglyphicâ ſcribendi methodo, Chymicis nimis familiari, penitus abhorres; nec principia, aut dogmata Chymica tam tenaciter amplecteris, qvin in BOYLÆANA Caſtra haud invitus transibis, ubi omnia ad incudem revocantur, & ſevero cum judicio, ſummoqve acumine mechanicè examinantur; O beatam illam Rempublicam, plusqvam UTOPIANAM, verè PLATONICAM, ubi Philoſophi ſunt Mechanici, vel Mechanici Philoſophi, vix enim eſt aliqvid utile in rerũ naturâ hominibus certò cognitum, qvod non ab experimentali induſtriâ effluxit; ſit æterna laus noſtræ *Regiæ Societati*, (fundatæ ab *Auguſtiſſimo Carolo Secundo*, Principe verè Philoſophico, verè magno, diisqve ſimillimo;) illa non fingit, aut excogitat, ſed invenit quid natura fa-

 ciat,

ciat, ut ferat; Studia *Mathematica*, *Physica*, *Anatomica*, *Chymica*, *Botanicæ*, *Colonica*, & omne genus naturalis literaturæ vitam, & animam hauserunt ab hoc divino *Philosophorum* Senatu, nec *Italicæ*, *Gallicæ*, *Germanicæ*, & *Danicæ* Societates suis defuere auxiliis; *Veniet tamen tempus qvo ista, quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris ævi diligentia*; ringat illud ignavum pecus, veteri superstitione, & lethargico quodam torpore adeò conspurcatum, ut mallent cum turba errare, & somniare, qvàm cùm laboris, ærisqve impendio privatim sapere.

Gratias tibi habeo ob interpretandum mihi Italicum Idioma libri à *Patre Bartolo* conscripti de *Conglaciatione* & *Coagulatione*, qvi mihi videtur esse grumus fragmentorum sat elaboratus, at pace dicam hujus fumivenduli Sacrificuli, qvod in iis locis, ubi illibatam, Boylæi famam malè tractat, ejusq; scripta distorqvet, (præsertim de vacuo) non agit Philosophum, sed potius rabulam, & blateronem, cerevisiali vappâ temulentum; illic venditat suas nugas, & deliria Jesuitica, minimè digna expertissimo, & victrici calamo Boylæi; non enim opus est *Hercule* pro castigando perpusillo Nano.

Ab-

Abundè tibi gratulor tuas rusticas delicias, longé Humaniores rixis *Londinensibus*; eò enim dementiæ hîc deventum est, ut nec morbos, nec remedia pati possumus ; tu interim secundum ipsam naturam vivis, pulveris, & tumultùs hominum pertæsus, & velut ADAMUS in Paradiso creaturas placidè contemplans; qvis fuit ille *Deorum*, qvi hæc tibi otia fecit ? Te oro, obtestorqve, ut humanissimum, & clarissimum virum , D. *Yarbrough*, meo nomine (qvalecunqve est, salutares, & ut nunqvam cessares oculis, & corde ferre

Tui Amantissimum

Dat. Londin. Sept. 10,
1682.

T. R.

AUTHORIS AD LECTOREM
PRÆFATIO,

Benevole Lector,

M*Edullam banc Philo-Chymicam tibi maritare volo, illam igitur conjugali amore recipe, est enim pura, & casta, minimèq; gravida aliorum laboribus, continet tantum illa, quæ hisce oculis vidi, his-*

ce manibus tractavi; nulla hic figmenta, nulla somnia, aut umbræ, nulli hic furtivi fasciculi, aut seqvipedales compositiones, sed brevitati & tuæ voluptati studens nihil præter proprias meas observationes accumulavi & peperi, non famæ aut lucri gratiâ sed mente honestâ & verè Philosophica, ut communi hominum utilitati (quantum in me est) inservirem, hâc ratione persvasus hic publicè prodeo in Theatro Anglicano, (*magno illo artium* Elaboratorio) *acturus partem hospitis devotissimi; vos igitur,* Angli, *more vestro hunc libellum accipite,* h. e. *candidè & amicè, vestra enim gens olim inclaruit, & hodiè celebratur pro morum svavitate, profundissimâ eruditione & fortitudine invictâ;* qvæ regio in terris vestri non plena laboris?

De Chymiæ *Antiqvitate, nobilitate, & necessitate hic Rhetoricari nolo, licèt de illâ dicenti nemini deesse potest vel Materia, vel Oratio qvi hæc desiterat adeat Doctissimum* Borrichium *sed credo paucos, aut nullos (nisi* Bæotico *ingenio fatuos) dignitatis & summæ utilitatis* Chymiæ *esse ignaros ergò hic non opus est* Hederâ; Anatomia *detegit partiū corporis situm, texturā usum, morbosq́; Scientia plantarum, animalium, mineraliū aliarumq́; rerum naturalium suppeditat nobis materiam medicā;*


am-

amboq; comitantur ineffabili qvâdam voluptate, Magnoqve emolumento; at sola Chymia *suâ industriâ, & artificio utile ab inutili segregat, medicamenta perficit & humanis functionibus adaptat, nec solium Medicinæ, sed Philosophiæ naturali, artibus Mechanicis, aliisq; vitæ nostræ commodis maxime inservit, adeò ut sine* Chymiâ *gens humana esset manca & rudis; est scientia tam naturalis, & necessaria, ut instinctu qvodam, inevitabili rerum fato ad illam exercendam ducuntur homines in præparando cibo. potu pane & sale, se prodit* Chymia; *ubiq; & semper ab ipsâ creatione exercitata fuit. est ipsa Machina, qvæ* volvit & temperat orbem; *nam ipsa* Natura *nihil aliud est qvàm prudentissimus, peritissimus & dexterrimus* Chymiater, *corrumpens generans segregans, uniens, circulans, & digerens vastam mundi molem immensam illam* Atomorum *concretorum, & variè figuratorum massam, à qvorum diversis innatis qualitatibus* viz. *motu, figurâ, magnitudine, situ, & texturâ (qvæ omnia multiplicia & dissimilia sunt) dependent singulæ variæ rerum mixtarum facies qvalitates & phænomena, qvæ nihil aliud sunt præter meras distinctas ideas, ortas à variis impressionibus Atomicorum principiorum, diversimodè dispositorum, corpuscula enim illa variè modificata sunt uni-*

ea Elementa, & semina rerum; *Aqua* Thalis, *ignis & Aqua* HIPPOCRITIS, *quatuor Elementa* ARISTOTEL. *tria* PARACELSI, *quinque* WILLISII; *Acidum & Alcali* TACHENII *sunt horum creaturæ; ad particulas igitur, seu corpuscula multifariam texta, & mota primario recurrendũ est cum sapientissimis veteribus*, DEMOCRITO, EPICURO, LUCRETIO; & *Sagacissimis* MODERNIS, *Celeberrimo* VERULAMIO, *subtili* CARTESIO, *cogitabundo* HOBBIO *præsertim verò Doctissimo* GASSENDO, *magnoque* BOYLÆO, *qui uberrimis & perspicuis experimentis illustravit omnia, in tenebris anteà involuta, & extra dubitandi aleam posuit, partâq; indubitatâ victoriâ contra Elementa Peripatetic & principia Chymica, triumphum splendidissimum meruit, modo verecundia & humilitas* Philosophi *tam debitam, justamq; pompam pateretur; at* BOYLÆUS *suis non gloriatur Lacris, suis non superbit Spoliis, & Trophæis, nec* Capitoliũ *ascendere laborat, licet* venit, vidit, vicit.

Si hunc meum laborem & igneas lucubrationes, Candide Lector, in bonam acceperis partem, tibi breviter alia opuscula perlegenda tradam modo Benignissimus Deus mihi vitam largiatur, nam per totum vitæ stadium dilectissimam meam Chymiam, (corculum, & animæ dimidium meæ) per ignem, & aquam persequar.

MEDUL-



MEDULLA

CHYMIÆ.



Hymia, quæ venit à Chema, hebraicè ſidus caliдum ſignificante, eſt ars contemplativa, & activa, rerum cunctarum naturam examinans, unde terræ Metalla mutuantur nomina ſua à ſtellis, qvarum variæ influentiæ credebantur olim temperare,& determinare Sublunaria; excellentia hujus artis liqvidò apparet tam antiqvitate nominis qvam veterum Teſtimoniis; *Tubal Cain* (homo octavus ab *Adamo*) erat verſatiſſimus in operibus Metallicis; *Moſes* calcinavit,& in pulverem redegit aureum Idolum *Iſraëlitarum*; & vetuſtiſſimus *Ægyptiorum* Hermes fuit expertiſſimus in arte Chymicâ, præſertim Metallicâ, unde profluxerunt immenſæ *Ægyptiorum* opes; nec hîc prætereunda ſunt *ſmaragdina*, penè divina, *tabula*, & *ſymbolum aureæ Homeri catenæ*. Omnis res creata ſublunaris eſt objectum hujus divinæ

Chymiæ Etymologia Antiqvitas, Objectum.

divinæ artis, quæ a suis non solum purgatur fæcibus, sed ad ulteriorem deducitur perfectionem, estqve hæc Ars unicum tam Mechaniæ, qvam Medicinæ principium & fundamentum.

Examinatio principiorum

Olim inter Hebræos, Græcos, Latinosqve, plurimi pro Principio Catholico, & Materiâ primâ aqvam viscidam venerati sunt, è qvâ, parte subtili, & subtilissimâ à crassâ divisis secundum leges Motûs, totum systema Cosmicum ædificari, & adhuc conservari perpetuâ circulatione voluerunt; at hæc Hypothesis non solido innititur fundamento, licet sustentatur sacrâ veterum authoritate, & nuperrimè ab Helbigii humeris, qvia necesse est hoc suum principium, (supposito quod tale datum fuit aut datur, componi ex infinitò numero Atomorũ, seu corpusculorum variè modificatorum, à qvibus viscositas, motus, totaqve forma hujus aqvæ derivanda sunt; ergò non meretur nomen principii primarii, sed collocetur (modò fuit, aut est in rerum naturâ) in classe secundariorum, seu compositorum Elementorum. Peripatetici Ignem, Aërem, Aqvam, & Terram pro principiis, & elementis statuerunt; Paracelsus suã Trigam

gam, Sal, Sulphur, & Mercuriũ, in ſcenã Chymicam producit; WILLISIUS qvinqve principia aſſignat, Spiritum, Sulphur, Salem, Aqvam & Terram. Expertiſſim9, & dexteribus TACHENIUS à Magiſtro HIPPOCRATE edoctus, Ignem, & Aqvam, (Acidum, & Alcali,) eſſe principia acriter argumentatur, eademq; opinio propagatur à VANDERBECK, SWALVIO, PORTZIO, &c. at rejicitur ab experientiſſimo BOYLÆO, ſagaciſſimo huj9 ſeculi Philoſopho; fatendũ tamẽ eſt hanc Hypotheſin, de Acido, & Alcali multùm rei medicæ inſervire, & non poſſum non applaudere imortali TACHENII ingenio; veruntamen omnia hæc vulgaria principia ſunt effectus aliorum principiorum, quo conceſſo darentur principia in infinitum; præterea illa omnia Elementa variantur, & transmutantur pro lubitu artificis, *viz* aqva in aërem, aër in aqvam, aqva in terram, ſal in ſulphur, ſulphur in materiam Mercurialem, & in ipſam terram, qvæ Phænomena vix congruunt, aut qvadrant veræ Ideæ, & naturæ principii; ergò ut vera cognoſcamus principia, non ad comunem Chymicorum praxin, ſed ad Atomos, ſeu corpuſcula variè texta, & mota recurren-

rendum eſt, à quorum diverſis modificationibus non ſolùm prænominata, ſed ferè innumera alia principia, malè ſic dicta emergunt, nam ignis, & motus vix diſſociant particulas córporum ſine alterationibus, & novis compoſitionibus; multaq; Phænomena producuntur ab Acido, & Alcali quæ non dependent ab Acidis, aut Alcalicis qualitatibus, ſed ab aliis Mechanicis affectionibus: Qui plura de hiſce rebus deſiderat, adeat præfationem hujus libri, & revolvat Boylæi ſcripta; ut, Sceptic. Chymic. cũ appendice novâ. Animadverſion. in Hypotheſin Alcali & Acidi, Chymic. Paradox. de tranſmutione principiorum Chymicorum; item Origin. Format. & Qvalitat. omnia ſanè credo digniſſima.

Relictis, & prætermiſſis plurimis præludiis, & operationibus ab aliis Chymicis toties repetitis usqve ad cramben, referam tantùm illa, qvæ aut ipſe inveni, aut illuſtravi, aut methodo faciliori peregi, omniaqve breviſſimé.

De vitriolo. Ad Oleum, & Spiritum vitrioli conficiendum, Vitriolum calcinatur ad flavedinem, ut accidentalis advolet humiditas, & deinde in retortâ vitreâ ſummo ignis gradui expoſitâ per ſexaginta

ginta horas deſtillatur, prodit ſpiritus, (qvi in alio vitro rectificari poteſt:) & in fundo remanet ſpiritus acidus admodum corroſivus, à nonnullis falſo, oleum vocatus. Breviori temporis ſpatio perficitur, & majori lucro, per amplissimum recipiens cum magno orificio, ut ſpiritus exitum habeant liberiorem. *Vide Fig.* D. BOYLIUS è Colcothar vitrioli prius edulcorato aqvâ pluviali, ſublimando cum duplici quantitate Salis ammoniaci, conficit ſuum ens Veneris, quod eſt ſatis nobile medicamentum; item Colcothar edulcoratum, & cum aq. albuminis ovi in cataplaſma redactum, cancrum mam marum non ulceratum ſæpè profligat; infunde guttatim ſpiritum corroſivum in aquam pluvialem ſupradictam vitriolo imprægnatam, & ad dimidium evaporatam, & videbis ſtrias inſtar capillorum; infunde balſamum ſulphuris aniſatum, in ſupradictam aqvam, & invenies maſſam rubram inſtar ſaponis; ſi accipias vitriolum Matris ſic dictum, cum duplici qvantitate ſalis ammoniaci & eâdem methodo procedas, habebis ſublimatum ejusdem odoris, & ſaporis, cum ente Veneris ſupradicto. Accipe limaturam Matris, & ſpiritum Vitrioli

acidum, fermenta, digere & filtra addito quodam ſale, prodit liqvor ſtypticus, qui ſiſtit ſanguinem arteriæ inciſæ ſine excoriatione; ſunt qvi accipiunt Vitriolum Matris, & deſtillant pro ſpiritu, qvem pro magno ſecreto vendunt, ſed nihil aliud eſt quam ſpiritus Vitrioli regeneratus. Tartarum vitriolatũ vulgò conficitur guttatim inſtillando ſpiritum Vitrioli in ol Tartari per deliquium ad perfectam ſaturationem exſiccando poſtea in aqua pluviali diſſolvendo filtranto, evaporando, & iterum lentè exiccando pro uſu; ſed mihi eſt alia quædam methodꝰ particularis *viz.* ſumo vitriolum viride, in aq. pluviali diſſolvo, digero, & filtro, poſtea mediante calefecta laminâ ferreâ illud totaliter privo ſuis particulis cupreis, quibus videtur ſpoliari cum ferrum non amplius ad ſe attrahit corpuſcula cuprea, tum iterum filtro & guttatim ſuperaffundo alcali volatile, ut ſal armoniac. aut C. C. q. ſ. digero, filtro, iterumqve cum judicio infundo ſpiritum volatilem opus repetendo donec in digerendo nil impuri infundo apparet, tum ultimò evaporatione exicco, & ſervo ad uſum: doſ. ℈j, in morbis chronicis, cum fructu uſurpetur;

petur, longè enim antecellit vulgare Tartarum vitriolatum. Cum vitriolo hungarico pulvis ſympatheticus conficitur, cujus virtutes in dubio ſunt, ſed D. BOYLIUS fecit ſeqvens experimentũ, qvo colligi poteſt ejus virtutem eſſe qvam maximam & nudis tantum verbis non refragandam: Habebat generoſa quædam mulier hæmorrhagiam uteri jam quatuor menſibus, & tam potenter à pulvere ſympathetico conſtipata eſt, ut valdè ægrotaret propter inhibitum fluxum, qvem iterum provocavit per tincturam Succini: confiteor plurima vulnera poſſe curari ſine applicatione emplaſtrorum dumodo ab aëre externo defendantur, iſta tamen aſſertio, non pulveris ſymp. virtuti contradicit.

E vitriol. Roman. ſal. nitro ana *lib.* j. ſal. commun. *lib. ij*. Calc. viv. *lib.ſſ*. calcinato vitriol. lege artis; deſtilletur aq. fort. â plurimis laudata. E Colchotar vitrioli, & nitro, aqva fortis deſtillatur communi methodo, puto tamen eſſe ſpiritum nitri; ſumatur ergo vitriolum calcinatũ usq; ad flavedinem, nitri, ana; in retortâ vitreâ ambo imponantur, & recipienti bene lutato ignis fortis adhibeatur, donec vapores in recipiente am- *De Nitro.*

plius non appareant, sale ammoniaco addito, aqvâ fortis evadet regia in re metallica maximè necessaria; sume caput mortuum aqvæ fortis supradictæ, & aqva pluviali sal extrahe, filtra, & crystalliza & supra marmor tere, tunc imponas sal in retortâ, & infundas in eam dictam aqvam fortem, destilla, & cohoba, donec totum in recipiens ascenderit, habebis noctilucam instar ignis: eodem modo conficitur sal luminosum; quo barba madefacta in tenebris tanquam ignis lucet per additionem cujusdam spiritus subtilissimi, â paucis noti; ex una parte nitri, & à tribus boli Anglicani destillatis spiritus prodit, qvi rectificatus ad usum servetur; sal extractum per aqvam pluvialem à capite mortuo, nihil est præter nitrum, non Alcali, ut quidam putant, inter qvos annumeretur Dr. Mayow, qvi in tractatu de nitro affirmat caput mortuum nitri destillati esse simillimum sali Alcali, qvod sal fixum nitri à terrâ provenire putat, sed qvandoqve bonus dormitat Homerus; idem fit cum sale communi, si accipias sal à supradicto capite mortuo, & denuo cum bolo commisceas, totum nitrum transit in acidum spiritum,

Phosphorus.

tum, qvæ aciditas è particulis constat igneis, qvas doctissimus RUDOLPHUS BALDUINUS tollit, dictum spiritum dulcificando, non per spiritum vini, sed admodum philosophicè, per saturationem scilicet; ex eo oritur magnes, cujus beneficio Aurum Auræ, & spiritus mundi attrahuntur. PHOSPHORUS item conficitur, & nulla alia reperitur vera methodus dulcificandi istos spiritus, qvam hæc; qvamvis indocti mysteria hæc non facilè concipiant. Nitrum s. a. purificatum præstantius est sale prunell. Pro secreto maximo fuit HELMONTIO modus saturandi spiritum nitri, cum qvo conficiebat menstruum admirabile; vertunt spiritum hunc in nitrum per Alcalia fixa, sed nitrum hoc non videtur idem esse, qvod antea fuit, qvia si ingrediatur pulverem detonantem, hic nullum strepitum edet. Spiritus rubicundissimus instar sangvinis à nitro obtinetur, si calcinati silicis p. iij. nitri p. j. in retortâ destillentur, cavendum tamen est ne fluxum concipiant à nimio igne; & est spiritus nemini inferior. Idem faciliùs obtinetur, si nitrum commisceatur cum Calcis viv. p. iij. & per retortam violentissimo igne destilletur.

De sale communi. Inter omnia salia meo judicio, sal commune est præstantissimum, hoc peculiare habens, qvòd strepitum, ceu crepitum edat, qvando illud privare volumus sua accidentali humiditate, à qvâ, decrepitatio provenit: ex oleo communi, & sale marino decrepitato per retortam destillatis, potentiùs oleum Petrolei prodit, qvod sæpiùs destillando oleum limpidum evadit, & posteà sæpiùs destillatum à sale tartari, in aqvam ardentem comutatur. Lateres rubescentes in oleo 100. annorum imersi, posteà triti, & destillati præbent oleum vulgò dictum Philosophorum, in ulceribus sordidis proficuum; oleum commune per se destillatum easdem habet qvalitates, & effectus. Sal destillatur eodem modo ut nitrum. In fine destillationis flores albi sublimantur in collo retortæ, nec sunt rejiciendi: ℞. Sp. salis rectificatissimi, q. v. mediante calce vivâ perfectè saturetur, in pulverem exiccetur & in crucibulo fundatur; fusum & refrigeratum tere, & cum quartâ parte calcis vivæ commisce, per retortam destilla, & spiritū colliges perpetuò fumigantem, & albos vapores exhalantem cum odore, & sapore gratissimo, in jusculo sumtum nephriticos dolores ju-

van-

vantem, Hydropes, obſtructionesq; relevantem, viſceribus & fermentis amicum. Mediante ſale communi, confeci in Angliâ meum Magneticum lapidem, qvi in oleum infuſus, effectus edit admirandos. Lapis hic in plurimis concordat cum lapide BUTLERI, de qvo HELMONTIUS: Primus illius virtutum inveſtigator fuit Nobiliſſimus atqve Doct. D. JOH. YARBROUGH, Medicinæ Doct. in NEUVARK in comitatu NOTINGHAM, vir celeberrimus, & amicus ſingulariſſimus. Inveni poſtea modum præparandi dictum lapidem, ut eſſet præſtantior ſapore & viribus, nec talem unqvam putavi reperiri potuiſſe in rerum naturâ. Fruſtrà laborant, qvi illum componunt mediante ſale communi; ente veneris, & uſneâ ſecundum HELMONTIUM, ailisvè modis, niſi poſſideant verum noſtrum ignem veneris, ex liqvamine noſtro volatili Cupri confectum, qvod liquamen neqvit obtineri niſi per magnetem â ſale marino elaboratum, qvi magnes non ſolùm dominatur in regnum metallicum, ſed etiam animale, & vegetabile, de qvo favente numine, ſcribere libellum peculiarem in animo habeo; lapillus meus in aq. commun. ſolutus eun-

dem ſaporem, odoremq; habet cum aq. mineralibus Knasburiensibus agri eboracenſis; & toto cœlo errat Doct. Simpson affirmans ſalem communem tèr fuſum & in aqva ſolutum, easdem habere qvalitates cum prædictis aqvis; oleum olivarum cum ſulphure metallico noſtri lapilli impręgnatum, valet contra omnes dolores, & tumores, niſi Gallicos, externâ inunctione infallibiliter curat podagricos, & ſcorbuticos, majori cum certitudine qvam vel Moxa, vel Ranunculus, vel aliud qvodcunqve cauſticum. Memini me Lutetiæ Pariſiorum ob certam qvandam rationem præparaſſe velle ſp. talem hoc modo; *viz.* ſumpſi ſalem communem q. ſ. ſolvens illum in aq. calidâ, digerens, filtrans, & exiccans, hunc laborem per 12. vices repetebam, ultimò hunc depuratum ſalem cum bolo commiſcebam, & deſtillare conabar, ſed operam & oleum perdidi, nam ne guttulam ſp. obtinere potui.

De aceto. Vulgò dicitur in deſtillatione Aceti primum prodire phlegma, & deinde ſpiritum acidum ſicciorem, ratio, qùia nonnulli acetum prius evaporant usq; ad dimidium, aut tres partes, tumqve deſtillant reſiduum, eſt ut citiùs termi-

nent;

nent; verùm ſi S. Q aceti ſine prævià coctione, & evaporatione ſollicitè deſtillaverint, videbunt ſpiritum aſcendere ante phlegma, ſubtiliſſimum, & volatilem, qvem pauci animadvertunt; atq; propter nimiam ejus ſubtilitatem & parvam qvantitatem vix coërcibilem, hic ſpiritus tamen ſummâ curâ collectus, eſt valdè conſiderabilis, neqve meo judicio multum differt ab illo, qvi deſtillatur à viridi ære olim venditus pro ſpiritu Veneris, uti ZWELFERUS; eſſe autem talem D. BOYLIUS & TACHENIUS doctiſſimè negant, ſicut & illum, qvi cum ſaccharo Saturni confici ſolet & ſeqventi experimento probatur. ℞. viride æs, deſtilla, obtinebis ſpiritum, & redige caput mortuum in viride æs per additionem aceti S. A. & obſervabis tantum aceti eſſe abſorptum, qvantum collectum fuit ſub formâ ſpiritus; hoc acetum eſſe magis volatile aceto affuſo non mirum eſt, qvia particulæ ſubtiliores in deſtillatione viridis æris prodeunt, craſſioribus in capite mortuo remanentibus, id qvod denuo fit in deſtillatione viridis æris regenerati.

Sulphur vulgari methodo ſub campanâ combuſtum, dat ſpiritum fixum valdè *De ſulphure, ſp. vini,*

aliisq; ſpiritibus. valdè acidum, & corroſivum, mixtum verò qvantitate duplici cum meo ſale, ſpiritum dat fere inſipidum, qvi nares violentiſſimè offendit, ac ſi ſulphuris magna copia in cubiculo cobureretur, iſtius mei ſpiritus ſulphuris gutta una, vel altera lacti inſtillata, illud coagulat, ſed ſale volatili ammoniaco eidem adjecto, redit in priſtinum colorem & conſiſtentiam. Inter ſpiritus acidos volatiles Tachenius numerat etiam ſpiritum vini alcoholiſatum, qui conficitur cum ſolo ſpiritu vini vulgari per veſicam, ſine ulla addicione, vel cinerum clavellatorum, vel ſalis communis, ſicut à nonnullis fieri ſolet: Certus ſum, qvod ſi Artifex gradu ignis debite aucto, benè in re proceſſerit, habiturus ſit unica vice Alcohol ſubtiliſſimum, cum pauco phlegmate, quod Alcali parva quantitate adjectum, penitus imbibit, ſicq; ſeparat. Miror apparatum qvorundam *Chymicorum*, qvi pro Alcoholiſatione ſpiritus vini utuntur inſtrumentis ſerpentinis, usqve ad cœlum erectis, quæ nullius uſus ſunt, qvam ad decipiendam plebem; ſufficeret inſtrumentum unius cubitus, ſimpliciſſimum, modo regimen ignis obſervetur. Solent cohobare hunc ſp. ſuper

ſuper ſalem tartari,&ſp. vini tartarizatũ falsò nominare,at verus ſp. vini tartarizatus eſt eſſentia vini antiqvorum Philoſophorum,& qvidam ſubtilis ſp. à ſuo tartaro non ſeparatus,& ſic paratur; expone aëri frigidiſſimo vinum generoſum in vaſe idoneo,ut congeletur, foramen fiat cum baculo in gelu, & funde liqvorem non condenſatum in aliud vas,liqvor ſegregatus congeletur,quod repete toties,usqve dum aër non ampliùs liqvorem reſiduum condenſare valet, puriſſimum tunc habebis & verum ſp. vini tartarizatum, qvi mirandos edit effectus; hâc verâ eſſentia, ſeu ſp. vini tartarizato leniter digeſto in Matracio fit fragilis lapillus rubri coloris. Sic etiam in qvorundam officinis infinitum vidi numerum fornacum, magis ad pompam,qvam ad utilitatem extructarum; in laborâtorio meo centum forſan lateres conſpiciuntur, qvorum beneficio,ſine ulla additione,aut ferri, aut luti, fornaces conſtruo ad quaslibet operationes breviſſimo temporis ſpatio, & iterum deſtruo, ſic nec retortas meas luto obduco, ſed ſimpliciſſimè impono alteri cuidam vaſi terreo,gallice *Callote*, nec in ſublimando ferè unqvam Matra-

Conſul. figur. & deſcription. in fine hujus libri.

cio utor, sed simplicissimâ phiolâ, majori aut minori pro re natâ. Sunt in Germania, qui jactant commune Alcohol vini, brevi temporis spatio commutari posse in pulverem album. Ars multum efficere potest; hinc non audeo, nec negare, nec affirmare, quia nunqvam vidi, credat qvi vult, per me licet; etiamsi pulverem quemvis subtilissimum pro Alcohol vini venditare quis velit: curiosum sanè foret, si spiritus rosarum, aliorumq; odoriferorum in talem pulverē posset redigi; spiritus hic valdè subtilis obtinetur per fermentationem, destillationem, & rectificationem: dum rosarum mentionem facio, non possum, qvin adjiciam, me præterita hyeme rosas artifiiciales confecisse adeò naturæ æmulas, ut deciperent etiam sagacissimos; ceterum non ex omnibus floribus odoriferis liqvor eliei potest per se tam bene olens, ac per destillationem descensoriam in vitro, mediantibus radiis solaribus, vel balneo descensorio, qvando radii Solares deficiunt; sic ex jasmino obtinetur liquor odoris suavissimi, & præstantior illo, qui à Genuensibus per *Germaniam* venditur, ejus basis nihil aliud est, qvam oleum Amygdalarum, vel de

Liquor odoriferus Jasmini,

de Ben, ſtratificatarum cum floribus Jaſmini. Mirum ſanè eſt, aqvam Jaſmini, qvam conficiunt, nullū habere odorem, ſaporem verò quàm gratiſſimum, conficiunt dictam aqvam per plurimas infuſiones, & omnium infuſionum deſtillationem; grata eſt in julapiis, aliisqve potionibus ſacharatis, ut Sorbetum, &c. ſunt qui tradunt varios modos extrahendi ſpiritum ex Violis, ſervato odore, & ſapore; verum an poſſibile ſit maximè dubito, tincturam inde parant per infuſionem S. A. illa qvæ habet ſaporem violarum, conficitur inde ſyrupus, compendioſiùs autem conficitur per expreſſionem ſucci violarum, ſine præviâ contuſione.

Williſianæ præparationes Sulph. & Martis.

WILLISIUS ex ſulphur. unc. j. ſalis Tartari unc. iij. conficit ſuam tincturam ſulphuris S. A. mediante vino generoſo atqve ex illo ſyrupum ſuum, adeo exiſtimatum per totam Angliam; à quâ masſâ ſalem volatilem albiſſimum habuimus, non diſſimilem illi à ſale Armoniaco deſtillato, nec in odore, ſapore, aliave qualitate, quod tamen Phœnomenon non ſemper ſuccedit. Idem ex cadavere vini, & limatura Martis, conficit ſuum diſſolubilem Martem in aqva frigida,

gida,

gida, mediante mixtione, & fermentatione, bis, aut ter repetitâ, additâ humiditate.

Ex Tartaro, & sale nitri autem gratissimus spiritus eliciatur destillando, & rectificando communi methodo, in obstructionibus, & morbis calculosis laudatus.

De Tartaro & Salibus Alcalibus

Tincturam salis Tartari, quæ reverà nihil aliud est, quam particulæ alcalicæ cum Alcohol vini conjunctæ, conficere soleo modo sequenti; sumo sal Tartari in crucib. fusum, & in mortario calido tritum, Q. V. & in phiolâ amplâ pono, postea infundo spiritum Tartari rectificatissimum calidum, Q. S. & agitando exactè commisceo, tum infundo Alcohol vini, iterum agito, & illicò obtineo tincturam rubicundissimam sale Tartari imprægnatissimam, colore, sapore, atq; odore gratissimam; processum hunc cuidam communicavi; qui elaborando, tincturam quidam obtinuit, sed animadvertit nihil salis Tartari in illa contineri, & mihi objecit tincturam hanc nihil esse præter spiritum vini, & spiritum Tartari unitos; non negavi ejus conjunctionem; ratio tamen quare tinctura sale Tartari non fuerit imprægnata, est quia non benè processit.

Sic

Sic ſæpiſſimè damnantur Authores; quod ſi bene proceſſum fuerit in fundo remanebit quædam gelatina cœrulea, quæ vel in pulverem, vel in liquorem redacta, dat Alcali præſtantius ſale Tartari comuni: hæc noſtra tinctura Tartari non ſolum omnia olea ſtillatitia, ſed etiã ipſum Balſamum Gileadenſe, ſp. vini, aliovè menſtruo ſolvi neſcium, optimè diſſolvit, undè evadit medicamentum maximè diureticum, aperitivum, abſterſivum, & ſtomachicum, in morbis Aſthmaticis, Phthiſicis, & Hydropicis non contemnendum, nec nocet in Gonorrhæa, modò cum metho, & judicio propinetur. Ferè omnes dicunt Alcalia omnia ejusdem eſſe naturæ, & tamen gradu differre; nolo prorſus contra illos agere, ſed tantum dicam quid ego expertus ſim: fudi ſal Tartari, quod provenit à vino albo Gallico, & rubeſcebat pòſt fuſionem ſex horarum, ſal Tartari vini HISPINICI poſt fuſionem unius quadrantis rubeſcebat quaſi ſangvis, & ſal fixum abſinthii etiam detentum per viginti horas nihil prorſus rubeſcebat. Sic cum Domino PAULI Med. Doct. & mihi amiciſſimo quondã *Bonæ* præparavi Regulum medicinalem

An-

Antimonii, ſumendo, ut mihi mos eſt, ſalis Tartari par. j. ſalis communis par. iv. Antimonii par. v. & unica fuſione obtinui regulum fuſci coloris, medicamentum tutiſſimum; cum etiam aliâ vice ſumerem ſal cardui benedicti, locô ſalis Tartari, eâdem qvantitate, habui regulum vulgarem. Non ſolùm è ſale Tartari fixo, ſed ex omnibus ſalibus Alcalibus fixis tincturæ rubicundiſſimæ eliciuntur, mediantibus ſuis propriis ſpiritibus, fermentatione, & deſtillatione paratis, & in Alcool ſubtiliſſimum redactis, quæ poſſunt fieri magnarum virium in Medicinâ. Præterea in cryſtallizatione ſalium Alcalium exacte obſervavi diverſas cryſtallorum figuras, quæ neceſſario dependent ex diverſis particularibus figuris, & conſequenter eorum natura eſt diverſa. Optimè & copioſiſſimè conficiuntur ex herbis viridibus, in ætate maximè floridâ collectis, inciſis, & in vaſe ferreo ſuper ignem impoſitis, donec incinereſcant leni calore, cineres violento igne calcina, ex calcinatis mediante aqvà pluviali lixivium conficiatur, filtretur, evaporetur ad cuticulam, cryſtallizetur, decantetur liquor à cryſtallis, qui iterum evapore-

poretur pro ulteriori Cryſtallizatione; opinatur WILLISIUS cineres optimè calcinari cum additione ſulphuris, ut albiores fiant, & pulchriùs cryſtallizent, undè ille magis approbabat hunc modum, quam vulgarem; ſal Tartari conficitur prædictâ methodo, ſed hic non poſſum præterire abuſum in ANGLIAM introductum, & aliis in locis exercitatum, *viz.* componendi ſalem Tartari ope nitri, ſumunt enim nitri, & Tartar. crudi an. lib.j. pulveriſant omnia ſimul, & in vaſe figulino calcinant in maſſam albiſſimam, ſic ex hiſce duabus libris obtinent lib. I. ſal. Tartar. quod impropriè ſic dicitur, nam lib.j. Tartari crudi præbet ſolùm circitèr ℥iv. ſalis, ergo certum eſt nitrum non totum avolaſſe in auras ut illi ſomniant, & ſi memoria me non deludit, tentavi incaſſum præparare aurum, ſeu pulverem fulminantem cum hoc ſale, ſulphure & nitro; liquidò igitur conſtat ſalem Tartari præparatū cum ſulphure, vel nitro, non eſſe verè Alcalium, aut genuinum ſalem Tartari.

℞. Abſynth. virid. vel alterius cujuscunqve herbæ, Q. S. deſtilla lento igne in retortâ adaptando recipiens usqve ad ſiccitatem, vaſis refrigeratis caput vul-

vulgò dictum mortuum tere, destillatum superinfunde, de novo destilla, toties cohobando donec nihil præter phlegma ascendit, semper observatâ graduali augmentatione ignis in qvalibet destillatione; ultimò sume cineres quos super laminam ferream cum spatulâ ferreâ agita, ut fuliginosum avolet in aures, & pulvis albus evadat, tum cum spiritu ejusdem plantæ per fermentationem præparato digere, filtra & evaporatione Crystalliza; qui crystalli arcanum vegetabilium nuncupantur, aliis salibus Mechanicis præferendi. Chymici ferè omnes exaggerant magnopere virtutem Alcalium fixorum volatilium, quæ sic paro; e. g. accipio sal Tartari, & imbibo spiritu Tartari rectificatissimo, & destillo, iterum infundo dictum spiritum Tartari, & cohobationem tamdiu continuo, donec spiritus Tartari abstrahatur, eodem vigore, uti quando infusus fuit, & ultimò sublimo. (Medicus quidam mihi familiarissimus sumit aquam regiam loco spiritus Tartari, & eodē modo procedit ut suprà) in fundo post sublimationem remanet corrosivum aqvæ regiæ, fere picis instar. Oleum viscidum, &

fæti-

fœtidum Tartari cum sale Tartari commixtum in liquidâ massâ, lege artis fermentando, & sublimando, sal volatile obtinetur album, sed paululũ fœtidum, qui fœtor facillimè tollitur per Alcool, vini; non hic præterire possum ZWELFERUM cum suo phlegmatico modo præparandi salem volatilem Tartari, destillando oleum Tartari per deliqvium cum repetitis vicibus; ab ipso Tartaro sal volatile obtinetur vulgari methodo destillandi, modo retorta habeat longum Collum, cui inhærebit sal volatile, sed in tam parvâ qvantitate, ut sit vix colligibile. Ex oleo Tartari per deliqvium, & ipso Tartaro crudo pulverisato, commixtis, & simul fermentatis usqve dum saturentur, Tartarum fit dissolubile in aq. frigida à quo extrahatur spiritus urinosus, & sal volatile secundum LANGELOTUM.

Tincturam corallorum magis sinceram, atqve legitimam reperiri posse mihi non videtur, qvàm hæc, sine ullâ additione. ℞. Corall. grofs. trita, destilla per retortam igne violentissimo qvadraginta horis, in recipiente invenies liqvorem rubrum, atq; unctuosum, licet parvâ qvantitate, hunc lento balnei ca- *Tinctura Corall.*

lore abſtrahe ad mellis conſiſtentiam, à reſiduo obtinetur tinctura rubicunda mediante Alcohol vini; reliqvis modis præparandi tincturam corall. nullam fidem habeo, qvia menſtrua per ſe rubeſcunt aut per longam digeſtionem, vel per additionem ſalium, id qvod ſæpe expertus ſum.

Tincturæ qvædam minerales. Ex omnibus Metallis imperfectis, excepto Saturno conficitur tinctura, qvæ reverà meretur nomen tincturæ Metallorum, vel qvia ingreditur Antimonium, Pater omnium Metallorum dictum; vel qvia unum, aut alterum Metallum reverà ingreditur, ſic ℞. Antimonii regulum, Martem, Venerem, Jovem debitâ proportione, funde, tere, & pulveriza, pulveres cum S. Q. Nitri detoniza, ignem augendo, & detineas tamdiù in fuſione donec maſſa inter cœruleam, & viridem evadat, tum S. A. cum Alcohol vini tinctura extrahatur, qvæ eſt Medicamentum egregium in morbis Chronicis, ubi peccant obſtructiones. Cum Nitro, Antimonio, & Jove pulvis ille famoſus Poterii conficitur, qvem ſi cũ reſina guajaci commiſceas, egregium habebis ſudoriferum medicamentum, & mihi quotidianâ experientiâ comproba-

Tinctura è variis Metallis.

batiſſimum. Si flores Antimonii violentiſſimo igne reverberentur ad plenam rubedinem dant rubram tincturam mediante ſp. vini Alcoliſato. Tinctura Antimonii conficitur cum ſale Tartari, & regulo Antimonii, calcinando cũ fuſione ignis per tres dies in furno vitriario, in fine reperietur maſſa rubra, à qua tinctura rubicundiſſima elicitur per Alcohol; reverà non puto quidqvam ſalis Tart. in hâc tinctura ſupereſſe propter validam calcinationem, & experimento ſatis conſtat, qvia pulvis ille ruber aëri expoſitus rubedinem conſervat. A Mercurio obtineo tincturam violaceam mediante meo menſtruo, quod limpidum eſt, & pingve, & minimè corroſivum, neqve cutim maculans, qvando illud manibus tractaveris, nec veſtimenta, neqve lintea corrodens; tincturam hanc ſi detineas in leni digeſtione, præcipiatur in pulverem coloris ruſſii, & Menſtruum evadit iterũ limpidum, ut antea fuit, & ſi in loco frigido ponas, vel ante feneſtrã, inſurgere videbis qvosdam lapillos inſtar adamantis pellucidos, & quotidie creſcentes ſapore admodum gratos, dulces, ſubſtypticos; Medicamentum nobiliſſimum, parvâ qvantitate, variis

Tinctura Antimonii.

Tinctura Mercurii.

modis exhibitum, veriosqve & magnos effectus edens. Per idem Menstruum tinctura elicitur à Marte admodum sulphurea, continens sulphur suum fixum, & instar sangvinis rubicundum, neqve flammam concipiens. Item per idem menstruum ex sole conficitur tinctura addendo sal Philosoph. ejusqve beneficio per fermentationem quandam in substantiam spongiosam evadit, infunde Alcohol vini, & statim sine ullâ additione Sol solvetur in tincturam flavam irreducibilem. Lunam certâ qvadam arte præparo, ut subtilior sit in aqvâ regiâ eundemqve colorem exhibet, ac si esset Sol solutus, probam tamen cupellæ sustinere non potest. Ex lunæ limatur. p.j. sulphur. p. ij. leniter in crucibulo fusis, & unitis, & pulverisatis, elliciatur tinctura sæpiùs affundendo sp. sal. Armoniac. secundum legem Artis; tincturam in Crystallos redige, & per retortam sp. Lunarem elice, qvi est medicamentum Antimaniacum celeberrimum.

Tinctura Martis. *Tinctura Solis.* *Lunæ.*

Qvædam de vegetabilibus. Ex Caryophyllis tinctura extrahitur per Alcohol, quam falsarii venditant pro oleo dict. Aromatum, & Pharmacopœi emunt minori pretio, non ulterius

riùs cogitantes, dummodo nominetur oleum, ſed reverà octuplo plus æſtimandum eſt oleum ſtillatitium dictorum Aromatum, quod paratur mediante digeſtione in aqvæ pluvialis S. Q. cũ adjectione cremoris Tartari, vel cinerum clavellatorum, uti ego facio cum inſeqventi deſtillatione, & ſeparatione. Vidi *Parmæ* in officina, qvæ caput nigrum vocatur, poſt longam digeſtionem Caryophyllorum, fortiter premendo provenire aqvam, & oleum, licet non tam diaphanum, nec tam ſubtile, ut è deſtillatione emanat. Ex omnibus herbis odoriferis ſiccatis in umbra S. A. & deſtillatis per veſicam cum additione aquæ pluvialis S. Q. olea habentur, qvorum uſus frequentiſſimus ad conficienda balſama odorifera, quibus facillimè datur corpus olei nucis moſchatæ, & præcipuè ſi extrahatur tinctura per Alcohol vini; idem fit ex ſeminibus aniſi, carui, & ſimilium. quæ omnia (relicta methodo communi) groſ. trita, & per qvatuor, aut qvinqve horas poſita in balneo vaporoſo, & fortiter preſſa, olea dant obſcura, gratiſſimi odoris, & saporis, eâdem methodo habetur oleum Amygdalarum, ſeminum Papaverum, & ſimi-

De oleis vegetabilibus.

De Nicotiana. similium. Ex Nicotiana comuni methodo destillatur oleum fætidum, qvibusdam animalibus præsertim felibus, maximè noxium, modò una guttula stilletur in lingvam, convulsiones enim lethales citò procreat, animalqve perit, nisi protinùs succurritur imponendo naribus sp. salis Armoniaci, attamen interdum venenum superat omnem medelæ opem, prout ex hoc vel illo loco transportatur Tabacum; apud Medicos Chymicos non multum in usu est; ex succo ungventum conficiunt in Italia, vulneribus sordidis proficuum; Hispani qvàm maximè delectantur Nicotiana illâ, dictâ hispanicè *Da la vana*, quia svavissima est; & commodissima pulveri sternutatorio; Lusitani verò celebrant Brazliensem, quæ est fortissima, & maximè narcotica; Chinenses & Japonenses non carent suo Tabaco, sed parcè admodũ fumigant, sicut Turcæ & Persæ; Angli & Hollandi Virginiensẽ laudant, quem interdum miscent cum Mastiche, Succino, C.C. Laventulâ, Betonicâ, Salviâ, pro habitu naturâ, & circumstantiis fumigantis; Novi nobilissimum Anglum sennam familiariter fumigantem, & salutiferam invenientem; qvem morem fumi-

fumigandi sennâ apud Nobiles HETRU-RIENSES ægrotos interdum invalere observavi, capiosè enim crescit, & cultivatur in HETRURIA, rarò tamen aut nunqvàm ITALI fumigant, odoriferis sternutatoriis, sicut HISPANI, sæpissimè exercitati. Ex Absinthio, & aliis herbis extrahitur oleum viride fragrantis odoris, & provenit à destillatione spiritus urinosus; & ita fit: Collectæ herbæ plenæ rore ponantur in cella vinaria per duas aut tres hebdomadas, usqve dum putrefiant, inter duas tabulas, superiori depressâ à magno pondere, ut meliùs cum altera uniatur, positæ deinde in retortas vitreas in furno arenæ, dant spiritum urinosum, & oleum viride. Hæc regula observanda est in omnibus herbis; si tamen dictæ herbæ putrefactæ aëri exponantur, facillimè sal volatile habebis. E fuligine ligni qvercini per retortam destillata prodit sal volatile, sp. & oleum, arte separanda; Balsamum ex hac fuligine sic obtineo; fumo sufficientem copiam fuliginis, quam derelinqvo simul cumulatam, usqve dum concrescat in lapideam substantiam, suspendo hanc concretam massam fuliginis in frigidissimo rigore auræ Hye-

De Spiritibus & sal. volat. Plantarum.

De fuligine.

malis per 80. horas, aut plus, tum in medio frango massam, ubi invenio viscosum Balsamum concentratum, in morbis Hystericis non contemnendum: sal fixum è fuligine obtinui calcinando illam in vase ferreo igne violentissimo, posteà lixiviando cum Aceto destillato, filtrando, evaporando, & crystallizando; est sal pretiosus in Cancris ulceratis, arsenicalem acrimoniam destruens. Sunt qvi sal aromaticum conficiunt cum herbis aromaticis hoc modô; suppono à Menthâ viridi siccatâ in umbrâ, & incisâ, addendo aqvam pluvialem cum S. Q. Alcali, & digestâ S. A. addido deniq; sale ammoniaco, & destillatâ, sal volatile habetur odoris Menthæ, & dici potest Alcali oleosum, volatile, & aromaticum, & per consequens ejus virtutes sunt majores Alcali communi salis ammoniaci.

Sp. & Sales volatiles, oleosi & Aromatici.

Doctor Silvius suum Alcali oleosum volatile, & aromaticum spiritum, (cujus virtutes in ejus continentur libris) conficere solebat accipiendo Cinnamomi, Macis, Nucis Moschatæ, corticum Citri, & Limonis an. drach. ij. Salis Tartari unc. ß. sp. salis armoniaci unc. iv. hæc omnia XXIV. horis relinqvebat dige-

Sal volatile oleo

stio-

ſtioni, & poſtea his omnibus unc. xij. Alcohol vini addebat, & iterum relinqvebat digeſtioni per XII. horas, & deſtillata conſervabat ad uſum Sed qvia poſt mortem Sylvii variæ ſunt diſperſæ per EUROPAM formulæ præparandi dictum Alcali volatile, & Aromaticum, hic ad plenum ſatisfaciam curioſis lectoribus addendo duas alias Methodos, ut prudenter eligant; an ſint Sylvianæ, vel non, parum refert, ſufficit ut ſint Alcalia volitilia, oleoſa, & Aromatica, effectis promiſſis non carentia; ℞. Sal Tartar. ℥j. ol. Cinnamom. aut ligni Saſſaphras, aut Cortic. Citri, gut. xxx. exactiſſimè commiſceantur in mortario ſicco, nam hic labor, hoc opus eſt, tum adde ſp. vini vulgar. lib. j. ß. paulatim commiſceatur cum ſale, impone totum in Matracio, & adde *lib.* j. ß. ſal. Tartar. agita, & digere per duas horas, tum ſpiritum ſupernatantem ſepara, & adde ſp. ſal. Armoniac. & ſal. Tartar. an ℥iv. item per horam digere, & ſp. volatilem per declinationem ſepara; qvi hoc peculiare habet in ſe, ut ejus gut. x. vel xij. commixtæ cum vino RHENANO illi impertiunt odorem, & ſaporem, vino HISPANICO naturalem; aliqvando citiùs

ſum Sylvii.

alii modi præparandi.

conficitur uniendo guttatim aliqvod Aromaticum oleum cum tincturâ salis Tartari, qvantum imbibere potest, & addendo sp. salis Armoniac. q. s. sed hîc maximè cavendum est, ut sp. sal. Armoniac. paretur ex merâ Calce vivâ, & sal. Armoniac. secundum justam artis legem, aliter si præparatus fuisset mediante aq. fontan. (ut vulgò fieri solet) tum sal Tartari in mixturâ contentus præcipitabitur ad fundum vasis instar Nebulæ; sed hîc monendum est, hoc Medicamentum esse celeberrimum, modò paretur mediante nostrâ tincturâ sal. Tartar. in hoc libello descriptâ.

De Succino. Succinum, & similia destillantur communi Methodo in retorta in furno arenæ, destillatis ex iis provenit oleum, & spiritus, pauca tamen qvantitas salis volatilis, oleum, qvod est magis viscosum, facillimè mutatur in sal volatile, ita fiat una massa cum sale communi decrepitato, & sublimetur eodem modo, qvo sublimantur flores Benzoini dict. oleum in limpidissimum spiritum commutatur per beneficium cornu Cervi calcinati, & magis existimandũ est meo judicio, qvam commune. Plurimi tentarunt imitari CHINENSES in vertendo caput

caput mortuum ſuccini ſic dictum in vernicem nigram, in Europâ maximi habitam,ſed pauci aut nulli veram Methodum invenire potuerunt; pulveriſato tamen hoc capite mortuo, & ſæpius ſupra affuſo Alcool vini digerendo totam maſſam reſurgit tinctura flava,quæ, Alcool vini per deſtillationem extracto, relinqvit in fundo vaſis ſuccinum flavum,& diaphanum, naturali, & perfecto haud diſſimile; ſed hic proceſſus eſt pleniſſimus laboris ob immenſam copiam ſp. vini; hoc ſuccinum tali modo regeneratum præbet eundem ſp. & oleum, ac nativum ſuccinum, qvod repetatur in infinitum; tentavi ſeparare repetitâ deſtillatione hoc liqvidum , & Diaphanum oleum à nigro & viſcido, exactiſſimè lutavi vaſorum juncturas, ignem augebam gradatim, ſed nihil omnino deſtillabat, ignem ulterios augebam usqve ad materiæ ebullitionem, qvem continuavi per 12. hores (obſtupui) ne gutta tamen olei aſcendebat; nec aliqvid odoris per juncturas erumpebat ; extincto igne, refrigeratisqve vaſis, ex arenà abſtuli illa ſine aperturà juncturarum, duobus diebus elapſis curioſus volui de novo tentare,& ſubtiliter

liter

liter rationem examinare, ſtatim primo gradu ignis deſtillabat, de qvo maximè admiratus examinavi juncturas, & percipiebam odorem tranſpirare lutum, unde animo advertebam juncturas relaxatas fuiſſe in removendis vaſis, à qvo dependebat deſtillatio, hic ſæpius tentavi eandem rem, & inveni unicam illam fuiſſe rationem, nam obſervavi in deſtillandis rebus volatilibus, vaſa ſæpè frangi in principio deſtillationis ob impeditam tranſpirationem; unde illi in magno hærent errore, qvi credunt in principio deſtillationis Tartari (qvæ comuni methodo conficitur) magnam copiam ſubtiliſſimi, & admodum volatilis ſalis Tartari aſcendere ante phlegma, ſed pro ſubtilitate ſuâ, & negligentiâ operatoris per juncturas evaneſcere in auras, ſic non parum laborant in exacte lutando, ſed primo ignis gradu vaſa certè frangentes, ad maximam volatilitatem ſalis Tartari omnia hæc attribuunt, ſed immeritò; hic tamen moneo Chymicum non eſſe nimis incurioſum in lutandis vaſis; idem notetur de circulatione in Pelicanis, in qvâ operator ſumit materiæ circulandæ q. ſ. imponens illam in vaſe circulatorio hermeticè

ticè ſigillato, cujus pars inferior collocatur in Arena furni idonei, aut in ſtercore eqvino, in inſtrumento aureo, alisvè modis; parte vero ſuperiore Pelicani nudâ, & aëri expoſitâ, ut vapores ratione frigiditatis in ſtriis deſcendant, iterumqve calore aſcendant modo circulatorio, qvam operationem à digeſtione diſtingvunt; ſed multum dubito, an reverâ differant, niſi gradu caloris, quia tales circulationes non videntur ſuccedere in Pelicanis ob arctam clauſuram ſigilli Hermetici, & ob rationes ſupra annotatas de deſtillatione per juncturas admodum clauſas; ex ſuccin. ℥iij. ſal. Armoniac. lib. j. Calc. viv. lib. iij. ſp. conficitur, laudabiles effectus producens, præſertim in auditus difficultate, guttulâ unâ vel alterâ in auram inſtillatâ, 2. per diem per 3. vel 4. dies, aure ab aëre defensâ ope Goſſypii, aut lanæ, ſi in hâc præparatione addantur ℥iij. Aſſæ fœtidæ, tum hic ſp. ſuccinatus fœtidus audit, qvi naribus Hyſtericarum admotus juvat, vel in aqva fontanâ internè exhibitus non nocet. Ex ſale Tartari, & ſale Armoniaco mixtis obtinetur per deſtillationem ſp. ſubtiliſſimus, & albiſſimum ſal volatile in ma-

magnâ copiâ, qvod cum oleo Aromatico commiſtum in vaſe idoneo confortat ſp. animales à ſolo odore; ex capite mortuo ſal extrahitur mediante aqva pluviali, lixiviando, filtrando, evaporando, exiccandoqve, in morbis calculoſis non contemnendum medicamentum. Corrigitur gummi gutta mediante. Vitriol. ſupercohobando, adeò ut ſolum purget per inferiora, ſicut vidimus in *Galliâ*; novi amicum hoc gummi corrigentem cum p. j. Zinzib. ad p. iij. hujus reſin. adeò ut ſpolietur ſua facultate emetica; in *Angliâ* obſervavi nobilem qvendam ægroto ſervo hoc gummi adminiſtrantem, qvi poſteà evomuit animal viperæ ſimillimum qvoad partes, præſertim caput.

De Laudano. Opium ſic tracto, ℞. opii Thebaic. ℥iv. diſtolve in fortiſſimo lixivio Calc. viv. filtra, & in extractum redige, ter repete diſſolvendo, & leni calore in extractum redigendo, ultimo adde ad extractum hoc, Croc. ℥j. Cochinell. ℥ſſ. Nuc. Moſchat. ʒij. exactè miſceantur, doſ. gr. 1. ad iiſſ. eſt egregium antifebrile in ardentibus febribus, Archeum furioſum pacificans, ſudorem, & urinam movens. ℞. Tinctur. ſal. Tartar, à nobis in hoc libel-

lo descriptæ ℥x j Opii Thebaic. ℥j. Macis, & Croc. an. ℥j. digerantur & filtrentur pro usu, hoc non inferius est aliis Laudanis vulgariter descriptis.

Elixir proprietatis. Elixir proprietatis conficitur ex Aloë, Myrrhâ, Croco in sp. vini justa proportione dissolvendo, & in Elixir redigendo, secundum mentem PARACELSI; alii primò digerunt hanc massam cum sp. sulphur. vel vitriol. posteà cum s. q. Alcool vini elixir conficiunt, aliqvi addunt menstruo vinosc sp. C. C. sal Armoniac. ut in GALLIA & ANGLIA observavi; in GERMANIA addunt Mastich. & sarcocoll. &c. sed optimè paratur, secundum PARACELSUM, si operator norit verum modum dissolvendi myrrham, in qvo totius rei Cardo vertitur, nam ab experientiâ instructus affirmo, ne granum myrrhæ à communi operandi modo verè dissolvi, nisi prius præparetur, & hæc sit una ratio, quare vulgaria Elixiria non producunt tanta miracula, qvanta expectari debentur. ℞. Ergò Myrrhæ ℥ij. sal. Tartar. ℥iß. pulverisent. in mortar. siccato optimè misceantur, & in sacculo suspendantur in loco humido, donec myrrha in mollem massam mutetur, & magna pars salis Tartari per deli-

deliqvium à maſſa effluat, ſuper hanc myrrham præparatam infundatur Alcool vini & tinctura rubicundiſſima obtinebitur, quâ Evaporandâ in Elexir redigo, quod commixtum, & digeſtum leniter cum tincturis Aloës, & Croci, evadit Elixir optimum & perfectiſſimum, ventriculum, & viſcera omnia purificans, corroboransqve, vulneribus, & ulceribus apprimè utile.

qvædam de animalibus. *Cantharides.*

Ebur, Cornu Cervi, & Cantharides deoillantur in retortâ cum mangò recipiente, & extrahuntur eorum ſpiritus, olea & ſal volatile, qvæ omnia debito modo rectificata & ſegregata, conſervantur ad uſum, eorum ſpiritus deflegmati & ſegregati per Alcohol vini coagulantur; obſervatur Cantharides abundare majori copia ſalis volatilis, qvam omnia alia, qvarum oleum ſpatio temporis, additisqve corrigentibus, eſt præſtantiſſimum ad curandos Paralyticos unctos exterius, ſicut affirmat Phyſicus fide dignus; latet ſuccus corroſivus, & veſicatorius in illorum inteſtinis, præparatus in glandulis circumjacentibus, ergo pedes ſunt magis idonei deſtillationi, & ſunt Antidota contra veneum ventris, abundant enim maxi-

maximè sale volatili, qvod infringit acidum succum; ergo cum externè applicantur pro vesicando, soli ventres in usum trahantur, sin internè danrur, tum pedes simul exhibeantur, sed tutiùs per se sine ventribus propinentur.

Colligantur viperæ secundum Antiqvorum leges, occisæ, decoriatæ, & exsiccatæ, per retortam vitream destillentur, cui orificium sit satis amplum, adaptetur recipiens, & ignis tractetur secundum artis regulas, cum sp. & oleo ascendit sal volatile, recipienti adhærens, sed non in figurâ viperarum, nisi imaginationi, & phantasiæ indulgemus; dividantur hæc tria facillimè in cucurbitâ altitudinis unius cubiti, secundum artem leniter sublimando; primò sal Albissimus cum parvâ spiritus quantitate ascendit; refrigeratis vasis sol colligatur, & procedendo S. A. Spiritus purus separetur; observavimus quosdam in *Galliâ* non solum hunc salem, sed etiam alios ejusdem naturæ separare à suis spiritibus, mediante matracio alti & longi Colli, cum suo Capitello, quam methodum plurimi applaudunt quia nova est & pompofa; sed seriò de hac meditavi diu, multumq; *De viperâ.*

cogitavi, sæpiusqve experimenta feci, & tandem conclusi hanc methodum esse incongruam rationi, & experimento, qvia ut ascendat ad capitellum, opus est violentiori igne, qvam natura istius salis patitur, undè per juncturas in auras impellitur, & nimâ aciditate ignis alteratur; Veneti solent fumigare exiccatam carnem viperinam cum Aromatibus in aqvis odoriferis decoctis, postea exiccare & pulverizare, alii tantùm carnem, ossaq; siccata, in pulvere conservant, & tam Opiatis, qvam Bezoardicis commiscent pro re natâ; ego aliqvando tincturam viperinam iisdem casibꝰ appropriatam sic confeci, ℞. serpentar. virginian. rad. contrayer. an. ℥j. Carnis viperin. siccat. & pulverisat ℥vj. tincturæ nostræ salis Tartari, in hoc opusculo descriptæ, ℥xxxij. digerantur lege artis. Dos. 40. ad 60. gut. in vehiculo idoneo, in morbis febrilibus, convulsivis, morsibus animalium, omnibusq; venenis, tam narcoticis, qvam corrosivis. Benè philosophârunt antiqvi collocando venenum viperinum in succo flavo, vesiculis contento, gingivis adhærente, & tempore summæ irritationes ejaculato, q. æ irritatio necessaria est ad commo-

ven-

vendum & exaltandum fermentum veneficum ſucci, at D. CHARAS nova qvædam dogmata vendidat, attribuendo facultatem veneficam, viperæ irritatis ſpiritibus per ideam vindicativis, impresſam in imaginatione animalis, & ſic ſuccum glanduloſum rejicit à multis experimentis; at ſagaciſſimus D. REDI eadē experimenta repetendo, antiqvas opiniones confirmavit, & fermentum veneficum ſucco flavo reſtauravit, confiteor me Anno 1671 *Parmæ* ſæpius vidiſſe empiricum qvendam ſine noxâ hunc ſuccum viperinum devorantem; eundemq; ſuccum innox è intrudi in vulnera animalium, ſicut D. CHARAS invenit, at ſæpè alibi obſervavi contrarios effectus hujus liqvoris viperini, nam vidi illum esſe lethalem, & mortiferum (licet è viperâ exemptum) animalibus, ut D. REDI etiam obſervavit; contraria hæc phænomena non proveniunt à diverſitate Climatum, aut à variis naturis viperarum *Langvedocenſium*, & *Florentinarum*, nam unum eundemq; effectum reperi ab hoc ſucco flavo in *Galliâ*, *Italiâ* & *Hiſpaniâ*, *viz.* qvòd interdum necabat, interdum non necabat in omnibus illis regionibus, prout citiùs, vel tardiùs

propinaretur,aut vulneribus applicaretur; recens, & tepidus ſuccus viperâ irritatâ exemtus, ſemper necabat animalia,modò dexterrimè,& celerrimè applicaretur,antequam amiſerat ſuum gas,& fermentum veneficum, at non tam citò convulſiones inducebat,ac ſi ab ipsâ viperâ iratâ ejaculatus fuiſſet; idem ſuccus tardiùs exhibitꝰ non exerceat ſuam rabiem veneficam, qvæ admodum ſubtile fermentam eſt, ideoq; citò diſſipatur,niſi continuò erigitur, aut renovatur ebullitione ipſius viperæ; D. igitur Charas erat nimis lentus, & tardus in faciendis ſuis experimentis, & opus habuit mirandâ illâ celeritate & acumine,qvæ D.Redi, inſtar dexterrimi Philoſophi,exercuit in ſuis experimentis; ergò non mirum eſt D.Charas invenire,& nominare hunc ſuccum viperinum craſſum & viſcoſum,quia certiſſimè deſpoliatus erat ſuo æthereo fermento ob nimiam ſuam pigritiam,ſuccus enim hic flavus in ſuo vitali,& naturali,h.e.venefico ſtatu,eſt ſubtilior, & rarior.

Qvod remanet à cornu Cervi poſt deſtillationẽ calcinatur in vaſe aperto, & pluribus inſervit; calcinatur etiam cornu Cervi per fumigationẽ, talis eſt ſententia

tentia Zwelferi, & appellatur cornu Cervi scalcinatum philosophicè; Ego autem, ut curiosiùs fit, calcino hôc modo: accipiatur dolium cum tegumento, & intus ponatur Calx viva, postea integrum cornu Cervi, & iterum Calx viva, addatur aqua S. Q. cooperiatur tegumentum, qvod habeat foramen, & reliquatur usq; dum frigeflat: per elixationem habetur color rubeus, à cornu Cervi remanente post destillationem crystallus habetur diaphana, & longè differens à quocunqve Alcali fixo.

De Cranio. Destillantur è Cranio humano sp. sal volatile, & oleum eôdem modô ac è viperâ, quæ similiter etiam separantur; hic sp. sal volatile, & oleum exactâ arte unita, digesta, & sæpiùs destillata lento calore, evadunt sp. roseus, & arteriosus, in re medicâ non vituperandus, præsertim si destilletur cum floribus Aromaticis; aliquando sequentem tincturam præparo. ℞. sp. Cranii human. sale suo imprægnati ℥xij flor. lilii convall. ℥ß. flor. Rorismarin ℥iij. Salviæ, Tiliæ an. ℥ij. digero, filtro, & ad usum servo; est medicamentum non infimi subsellii in morbis convulsivis, & cephalicis. Ebur, qvod remanet post destillationem, inservit pictoribus.

De Urina. Spiritus;&Alcali volatile urinæ obtinentur per fermentationes 40. dierum, mediante Sole, aut loco calido, & per destillationem in cucurbitâ; Ego autem *Parisiis* inveni Methodum faciliorem sine fermentatione diuturnâ,& solâ additione calcis vivæ,sublimando in cucurbitâ,&consistit in quâdam proportione, aliter frustra. Ex capite mortuo fermentatæ urinæ Phosphorus destillatur, pro quo, lector,consule egregia scripta magni Boylæi,qvi de hac re, sicut de aliis, nervosè philosophatur; evaporando recentem urinam, ultimò sal volatile prodit,sed fæculentum,& nauseosum,at augendo ignem ad magnum gradum sal fixum albissimum obtinetur, qvod mediante spiritu urinæ, & Alcohol vini (ut anteà notavimus de tincturà salis Tartari) rubicundissimam tincturam præbet,tam in re medicâ,quam metallicâ maximè necessariam; aut ex coagulo sp. urinæ, & vini, destillato, præparetur efficacius menstruum pro prædictâ tinctura. Sangvis humanus rite collectus addito An. Alcohol vini, fermentando reddito spiritum gratissimi odoris,qvi linguam ferit & pungit. Est Antispasmodicum egregium, dos. à xv. ad xx. gut. in vehiculo idoneo. Do-

Doctor VICTORIUS ALGAROT, nemini inter Physicos secundus, & totius Medicinæ decus, & honor, Author fuit illius pulveris, qui meritò nostro ævo Mercurius vitæ appellatur; si tamen malè præparetur potius Mercurius Mortis appellandus foret; constat ex an. sublimati corrosivi, & Antimonii, in retortâ vitreâ destillati in recipienti semipleno aqvâ, in fundo albissimus, & instar nivis pulvis invenietur; separata autem aqva à butyro Antimonii, destillatur iterum in retortâ, usq; dum acida deveniat, & cum acescit, tollatur ignis, qvod remanet in vitro spiritus Vitrioli Philosophicus vocatur; Plurimi putant, quod si intrò Auri Lamina infundatur, qvod extrahet dicta aqua colorem flavum ab Auro, cum Lamina, quæ in fundo est, remaneat alba, & ab aliqvibus Luna fixa appellatur; Meo quidem judicio color flavus provenit ex aliqva parte Auri in menstruo dissoluto, & albedo in Lamina à Mercurio in Menstruo contento: hoc facillimè experitur. Attamē ut hic Mercurius sit Medicamentum magis commodum & benignum, & minus periculosum, corrigitur ponendo dicto Mercurio supra Laminam ferream, & leviter

Alia quædam de Mineralibus.

De Antimonio.

ſpatula ferrea removendo,lento calore (cave tamen à vaporibus:) usq; dum ceſſent,& hoc modo uti illo quisq; poteſt tutè; aliô modô tutiſſimè corrigitur digerendo, & poſteâ comburendo cum optimo Alcool vini ter qvaterq; repetendo. Qvod ſublimati invenies in collo retortæ cauſa magni ignis, Cinnabaris Antimonii vocatur,quod ut puriùs evadat in pulverem redactum in retorta ponatur cum magno igne,ut pars impurior,& magis fuliginoſa ſeparetur, & in fundo cinnabaris pura in unum reducta invenitur, conſtans ex ſulphure Antimonii, & Mercurio, contra ſententiam aliqvorum, qui dicunt: ℞. Cinnabaris Antimonii bis, aut ter ſublimati, cum non ſublimetur niſi unicâ vice;fit etiam cinnabaris Antimonii cum ſulphure Antimonii,& Mercurio,quod ſulphur obtinetur mediante oleô vitrioli ita comuniter nuncupatô,rectè miſcendo,& ſublimando; mediante aq. fort. etiam conficiatur ſulphur Antimonii, ſed dubitetur,an ſit purum,& genuinum , nam in ſublimatione hujus ſulphuris particulæ vitriolicæ, & nitroſæ cum Antimonio incorporatæ ſimul aſcendunt. Fit etiam eodem modô cinnabaris officinalis cum ſul-

ſulphure comuni, & Mercurio. Vidi Siviliæ Aurifabrum, qvi à doloribus Morbi Gallici liberari non poterat, rectè curatum ſumigatione factâ in uſitato hypocauſto per tres, aut quatuordies dicto cinnabaris officinalis, (cavendum verò eſt, ne vapores exteriꝰ caput offendant.) Coqvitur cinnabaris mineralis redacta in tenuiſſimum pulverem in aqva pluviali per horam, & turbida dicta aqvâ, & à partibus craſſioribus decantata, relinqvenda eſt usq; dum clareſiat, & toties repetenda eſt coctio donec non ampliꝰ turbida deveniat aquà & ſeparanda eſt poſtea à pulvere ſubtiliſſimo, qui exſiccatus exiſtimatur magnus Antepilepticus. Si viride æs, & ſal ammoniacum unà ſublimentur per Alcohol vini, viridis obtinebitur tinctura, qvæ multum confert Epilepſiæ Puerorum, nihil tamen efficacius invenitur, qvam aurum meum medicinale, acceptum pondere unius grani per 30. aut 40. dies in vehiculo canvenienti, ſanat infallibiliter. Nitrum, & Antimoniũ in pulverem, redacta, addito carbone igneo evadunt in hepar Antimonii, ita ratione coloris vocatum, & eſt magnũ emeticum, quod in pulverem redactum, & in vino forti infuſum.

S.A.fit vinum emeticum,addito sacchero syrupus emeticus; cum unc. j. dicti hepatis,unc.ß Cinnamomi,lib.III. aqvæ cardui benedicti,facta digestione, aqva benedicta Rulandi provenit. Dubitant nonnulli de unione particularum Hepatis Antimonii cum vino, quia post infusionem non diminuitur pondus Croci, observatione edoctus affirmo, quantò vinum calidus,aut spirituosius est, tantò magis imprægnatur, & augetur vis Emetica, quoniam unitur cum majori copiâ particularum Antimonii, idem succedit in vitro,& Regulo; ratio,quare pondus Antimonii non apparet diminutum, sit fortassè hæc, *viz.* qvia corpuscula Tartarea vini se insinuent in corpus Antimonii, & gravitatem ejus deperditam renovent. Diversimodè fiunt reguli Antimonii. Primò ex nitro, tartaro,& Antimonio; secundò ex nitro &carbonibus,tertiò ex Tartaro,& Marte,quartò solô Tartarô,&Antimonio per detonizationem. Ex nitro,Tartaro,sale communi & Antimonio, Regulus quidam conficitur, è cujus separatâ scoriâ, & dissolutâ in fortissimo lixivio Calcis viv. sæpè agitando, nobilissimum sulphur Antimonii acquiratur miscendo quod-

quoddam mihi familiare cum lixivio, qvi levis pulvis Antimoniatus est odoris gratissimi, & saporis non ingrati, febres ardentes unicâ dosi, *viz.* ℈j. sæpissimè profligans, sudorem, urinamq; movendo, Archæum furiosum pacificando; prætereà in doloribus *Gallicis* est summè proficuum. Ex nitro & Antimonio modô usitatô diaphoreticũ obtinetur, cui nulla alia meo judicio tribuenda est virtus, quam illa, quam possedit Bolus *Anglicanus*; loquor de albo, cum quo conficiuntur fistulæ ad fumigandũ Tabacum, quod rectè noverat quidam Medicus Anglicanus, nam eô lucratus est, duo millia Librarum Anglicanarum. Si suprà liquorem glacialem Antimonii infundatur spiritus Nitri paulatim (fuge vapores) destillando, & iterum spiritu Nitri cohobando, deniq; per unam horam pulvis reverberetur, Bezoardicum Minerale proveniet, licet à paucis rectè præparatum, ut Medici experiuntur, cum additione Solis in Bezoardicum solare evadit, Lunæ in lunare, Martis in martiale, Jovis in joviale. Calcinatur Antimonium usqve dum cœrulea flamma amplius non appareat S.A. tum solâ fusione in vitrum rubeum evadit, qvod

Nitro

Nitro correctum, medicamentum eſt tutiſſimum,& purgat per inferiora. Calcinatur etiam radiis ſolaribus,mediante vitro uſtorio,pondere tamen non diminuto, ſicut communis fert ſententia,licet continuò effluvia emittit; at pace dicam horum Chymicorum, Autimonium hoc modo calcinatum reverà amittere aliqvid ſui ponderis,ejusq; gravitatem ab hâc operatione deminui.

De Saturno. Vitrificatur Saturnus mediante tribus crucibulis ſola fuſione,ut rectè Philochymici noverunt, & facillimè convertetur in lithargyrium cum aliqvo etiam lucro,ſed quia inſalubris eſt, à paucis conficitur. Calcinatus Saturnus per acetum in bonam ceruſam evadit,cujus virtus laudabilior aliqvando mihi videtur, qvam ſacchari, aut Canitici Saturni,ut uno ore expertiores Galliarum Chirurgi dicunt,eorumq; rationes difficiles intellectu non ſunt.

De Mercurio. Mercurius revivificatus beneficio Alcalium eſt purior &commodior in qvolibet uſu, per aſſiduam deſtillationem, & cohobationem absqve ulla additione in pulverem rubicundiſſimum evadet, utinam, & ſudorem ſine ulla alteratione promovet. Hic Mercurius

in

in aqvam limpidam, & ponderoſam (mercurialem dictam) commutatur beneficiô retortæ calidiſſimæ in ſummitate (ubi Mercurius ingerendus) foraminatæ, ſeptem, octôve receptaculis junctæ, at non lutatæ; Mercurius gradatim infuſus per foramen idoneum in retortam calidam edit ſtrepitum, & partim evadit aqva limpida, & gravis in receptaculis; ſi aliqvid Mercurii cum illa commixtum reperiatur, ſegregetur ab aqvâ ſuâ, qvæ nihil aliud eſt quàm ipſe Mercurius rarefactus, variè modificatus, & novis qvalitatibus veſtitus mediante igne, & inſtrumentis. Diſſolutus in aqva forti præcipitando, & edulcorando, præcipitatum album dicitur, ſi tamen reverberetur usqve dum revertatur in pulverem rubrum, præcipitatum rubrum appellatur. Qvidam Venetus in *Hollandiâ* habet novam methodum conficiendi hoc præcipitatum admodum rubrum, & rutilans, additione ſulphuris, non inferius communi. Diſſoluto dicto Mercurio oleo ſulphuris communis deſtillato, cohobato & ultimo addito igne vehementiori, pulvis invenietur in retortâ albus, qui per aquam lotus fit flavus,

&

& turbith Mineral. vocatur. Mercurius dulcis componitur è ſublimato corroſivo ſaturato; non poſſum hic præterire fanaticum revelatorem Arcanorum Lazari Riverii, qui in præparatione Calomelan. ſicut in aliis, dignisſimum Riverium in Aſinum, aut vitulum transmutavit, nam decies aut circiter hunc Mercurium ſublimat, addondo unaqvâqve vice ſalem communem, quaſi edulcoratio & acuminatio, eodem tempore in unum idemqve Corpus inducentur. Meus viridis Mercurius præcipitatus brevi momento conficitur, & Gonorrhæam infallibiliter, & radicaliter curat; non intelligo illum, de quo alii Authores mentionem fecerunt, ſed tantùm de eo, quem tanquam maximum arcanum conſervo. Pilulas cum hoc meo Mercurio viridi etiam conficio ſimul cum reſin. Guajac. & Pil. aggregativ. ad pondus omnium ʒj. in morbo Gallico maximarum virium.

De Marte. Relictis omnibus modis, ab aliis Authoribus dictis circa crocum Martis, dicam tantum duos, adſtringentem unum, aperientem alterum; primum præparo accipiendo laminam ferri unctam oleo Caryophillorum deſtillato, & ponendo dictam

dictam laminam in cellâ vinariâ supra discum vitreum, usq; dum Crocus appareat, qvi ritè collectus conservatur ad usum, & repetitur ad libitum; alter conficitur mediante spiritu salis Armoniaci, & facillimè obtinetur. Hic non impropriè animadverto, ipsum ferrum esse maximè idoneum ad præparendum Crocum astringentem, Chalybem verò aperientem, hic enim vulgò componitur mediante stratificatione cum ungulis, cornubus, aliisqve ossibus animalium, salibus volatilibus, & aperitiva facultate donatis, undè Chalybs magis imprægnatur cum virtute Alcalicâ, obstructiones meliùs referante, quàm vulgaris Mars. Limaturâ Martis in Crucibulo detentâ magno igne donec candescat, & urinâ recenti extinctâ, posteà per retortam destillatâ per 24. horas, spissa, & rubra prodit, cum quo Luna tingatur aureo colore. Si ex Martis limaturæ, & salis Armoniac. an. sublimatum confeceres, flores salis Armoniaci Martiati nuncupantur; caputmortuum in vasis fundo repertum, si per deliqvium in liquorem convertatur, evadit medicamentum nobilissimum, purgans per inferiora, & superiora sine ullo agrotan-

tantis incommodo; dof. à gut. xv. ad xxv. in vehiculo idoneo; flores prædicti, præter vires illis ab aliis attributas, ut nobis constat ab experientiâ sunt in Hæmorrhagiâ narium Medicamentum tutissimum, si sumantur in formâ sternutatorii; si hæc sublimatio cum triplici salis Armoniaci qvantitate conficiatur, igne tam diu continuato, usq; dùm totâ massa elevetur, tum sublimatum non est omninò Emeticum, qvia per longum ignem, & continuatam sublimationem particulæ illæ ventriculum irritantes, in auras avolarunt, nam operando observavimus Chartam in tempore sublimationis defendentem materiam à sordibus, aëri expositam viridescere, & nauseabundè sapere, tàm colore, quàm sapore sublimato admodùm dissimilem; ex dictis floribus tincturam flavam obtineo ope benigni menstrui sub titulo tincturæ Martis aureæ, in cruditate ventriculi, Hydrope, & omnibus obstructionibus valet, & est generale totius Archei fermentum; sed qvia hæc compositio tàm mystica fuit mihi revelata ab Amico, non hic profanabo; tandem notandũ est, limaturam Martis â sordibus suis per magnetem rectè deputari. Ex Marte,

te, & Tartaro cum ſufficiente Q. Vini coĉti in vaſe ferreo, ſpatulâ ferreâ agitando, tinĉtura habetur, quæ filtrata per chartam emporeticam, per ſe, aut in ſyrupum conſervatur. Vinum Martiale etiam conficitur ponendo Vini fortis S. Q. in magno recipienti, in quod immergitur Limatura Martis candeſcens, & cooperto vaſe, relinqvitur usqve dum frigeſiat, poſtea extraĉta limatura, quater repetatur. Conficiunt vina medicata tam ſimplicia, quam compoſita unica infuſione, licet plurimi volunt, quod ſint Medicamenta unà cum Muſtô fermentata in Autumno, credo nihilominùs parvam, aut nullam habere virtutem. In *Normandia*, in quâ Uvæ ſunt raræ, ſolent illas veneno linere, ne à belluis devorentur, aliqui etiam Aloë diſſoluta in aquâ ungunt, & alii Colochintide, vinum autem à diĉtis Uvis extraĉtum non eſt ullô modô purgativum, ergò falſum eſt ab infuſione ſimplicium in muſto, poſſe extrahi vina, quæ habeant aliquam virtutem.

Cuprum facillimè in cryſtallum cœruleum commutatur, & in viride mediante acetô deſtillatô, à qvibus pul- *De Cupro.*

vis quidam colore lithargyrii extrahitur, mirabilissimæ equidem virtutis, & quoddam oleum antipodagricum. Vidi dealbatum Cuprum nihil prorsus ab argento differens, nisi qvod in Cupellâ non resisteret. Idem cuprum impraegnatur aureô colore, qui diu permanebit, & omnes probas, præter cupellam sustinebit; quod fit sequenti modô. ℞. Cupri lib. j. funde in crucibulo, insperge gradatim sulphur. pulveris lib. j. usque dum totum deflagraverit, posteà cuprum in laminas redige, hôc factô sume auripigmentum, q. v. funde, & in aceto extingve, quod repetendum per 24. vices tum sequens stratificatio construatur in crucibulo, S. A. primò cum farinâ fabarum, tum cum Nitro & Tartaro, posteà auripigmentum sit superstratum, tùm cuprum ipsum & iterum auripigmentum, Nitrum & Tartarum, farina fabarum, ultimò nitrum, & Tartarum, qui ordo observandus est per totam strat ficationem, donec totum crucibulum impleatur, ultimò huic crucibulo superimponatur aliud, cui est foramen in summitate; S. A. fiat ignis cæmentationis, donec nec flam-

flamma, nec vapor ullus apparet; ultimò detur ignis fusionis per horam, frigefactum cuprum separetur à pulveribus, & novô crucibulô fundatur, separatis scoriis obtinetur cuprum supra dictum aureum, quod in folia elegantia, & diuturna à Malleatore extendatur. Ex cupro conficio liqvamen sine igne, menstruo, aut alio Heterogeneo, ex qvo meus ignis Veneris præparatur, ab HELMONTIO tantoperè celebratus, & usqve ad coelum evectus; à nullo nisi artis filiô, & verô Philosophô, comprehendi potest; ex hoc liqvamine cupri egregium opiatum conficio, rei pharmaceuticæ summè proficuum. Sed nolo, benevole Lector, negotia tua ulteriùs interpellare, parce, precor, hisce nugis sat brevibus; sumus omnes pulvis, umbra, nihil.

De Furnis & Vasis.

TAB. I.

Fig. I. HOc Schema exhibet pavimentum furni, qvod in majorem vel minorem extenditur amplitudinem pro operis ratione, confiteor tamen hoc pavimentum non esse semper necessarium præsertim in Furnis fusoriis, ubi particulæ aëreæ è terrâ vi ignis copiosè extractæ plùs impellunt quàm maximi folles.

Fig II. III. Dispono lateres in tres modos, qui vicem craticulæ ad ignem sustinendum & cineres demittendos præstant: infimus ordo consistit è tribus lateribus vel 4. pro amplitudine furni dentatim juncti, & hunc nomino craticulam simplicem, ut in a b c. Duplex exstruitur 3. vel 4. lateribus transversis, & est craticula duplex, d e f. Craticula triplex exstruitur aliis tribus lateribus h i k, super quos cubus latericius gallicè *culot* est imponendus pro crucibulis, g. in Fig. II. & hæc craticula debet esse simplex, duplex, aut triplex pro altitudine furni & gradûs ignis, ignis enim in triplice craticulâ est violentior quàm in du-

TAB. I.

Io: Franc. Vigani Medulla Chymiæ.

Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 2.






Fig. 4.



TAB. I.

Jo: Franc. Vigani Medulla Chymiæ.

Fig. 5.



duplici, in duplici quàm in simplici, & qvicqvid possunt anemiæ, efficitur his craticulis sine follibus.

Notandum est, quod medius later Infimi ordinis debet esse paululum depressior lateribꝰ à dextrâ & sinistrâ, qvô facilius subducatur ad cineres eximendos. litt. l. cæteris ad amussim politis, ut videre est in frontispiciis.

Fig. IV. Hoc Schema exhibet Furnum fusorium, apertum, perfectè duplicem, voco perfectè duplicem à duplice craticulâ & pariete.

a Duo parietes, ut in Fig. V.
b Paries posticus, ut in Fig. V.
c Duplex craticula, ut in Fig. II.
d Cubus gallicè *calet* pro crucibulis.
e Lateres ad Furni camerationem.
f Pavimentum, ut in Fig. V. cum arenâ vel cineribus in fissuris ad ignem prævendum, cum tali basi operatio qualiscunq; in qvocunq; loco etiam super tabulatum sine ullô periculô institui possit, præsertim si furnus crassiorem habeat basin, ut in Fig VI.

Fig. V. Hic Furnus consistit è duplici pariete, sed simplici craticulâ.

a Duo parietes. ut in Fig. IV.
b Paries anticus eôdem modô quô pa-

paries posticus in Fig. IV. exstructus.

c Duo lateres dentatim collocati ad suffulciendum parietem b. quorum dispositio facit interstitium cineribus & aëris ventilationi inserviens.

d Cinerarium sub craticulâ, & simul viam aëri præbet & recrementũ foci.

e Lateres ad furni camerationem.

f Flamma egrediens.

g Pavimentum ad ignem præcavendum, in locis minùs accommodatis.

Fig. VI. a Pavimentum.

b Parietes.

c Duo lateres cinerarii.

d Cinerarium.

e Paries intra cinerarium & focum.

f Duo lateres foci.

g Ostium foci quatuor vel qvinq; pollices altius craticulâ.

h Lateres intus prominentes ad retortas sustinendas.

i Lateres qvi ignem coërcent.

k Flamma per fissuras violenter egrediens.

l. Collum retortæ.

Ex innumeris Furnis in Chymicorũ Laboratoriis reperiendis, adjectis & iis similibus, in omnibus meis experimentis tantùm utor; & quamvis multi sunt; qui

TAB. I.

Jo: Franc. Vigani Medulla Chymiæ.
Fig. 6.





Fig. 1.
A
B
C







c


Fig. 2.
A
a
g
b
c
d


c
b
Fig. 4.
a
b
c


Fig. 3.
b
a
b
c


Fig. 5.
e
f


b
a
c
Fig. 6.
d

qui nominantur ab usu, ut Reverberatorium, Calcinatorium, &c. & cuilibet suus est usus primarius, ingeniosus tamen artifex potest esse paucis contentus; quandoqvidem singula experimenta formas non adeò differentes requirunt, & quæ uni, alteri experimento inservire possit. Specimen adieci meorum, qvi possunt esse usui industrio artifici in aliis excogitandis, mutatis mutandis pro operis ratione, loco, tempore & aliis circumstantiis, & spero me Chymico Orbi pro futurũ dum viam sterno ad meliores, extemperaneos, & minimi sumtûs.

TAB. II.

Fig I. TRes Galeæ, gallicè *calot*, pro magnitudine retortarum è ferrô vel terrâ ad retortas muniendas.

Fig. II. Retorta galeata.

Fig III Instrumentum ad operationes plurimas citiùs determinandum.

a Vas terreum cum duobus collis amplissimis quo faciliores exitus spiritus habeant.

b b Colla receptaculorum vasi lutata.

c c Duo receptacula vitrea qvàm ampla ad magnam copiam vaporum condensandam.

Fig. IV. Instrumentum præcedenti simile pro Subjectis minùs destillabilibus, destillatio enim in hoc planô citiùs finitur quam in præcedente, ubi materia coacervatur.

a Vas terreum è terra GERMANICA,

bb Colla pro receptaculis.

cc Receptacula vitrea.

Fig. V. Hoc instrumentum voco balneum descensorium; pro iis temporibus, & locis ubi sol minùs lucet.

a Lebes Cuprea pro aquâ calidâ.

b Ampulla vitrea, quæ capit materiam destillandam.

c Epistomium ad aquam frigescentem emittendam.

d Collum ampullæ per foramen lebetis recipienti commissum.

e Recipiens.

f Vas ligneum sale communi plenum pro refrigerio.


g Funis ad sustentandum lebetem.

Fig. VI. Receptaculum ad separandum in primâ destillatione salia volatilia à suis spiritibus & oleis.

a Collum recipientis quàm amplum quò facilius extrahatur sal volatile.


b Venter recipientis, cujus lateribus sal volatile adhæret.


c Col-



Jo: Franc: Vigani Medulla Chymiæ.
TAB III.
Fig. 1.

TAB: III.





c Collum alteri receptaculo lutandum.
d Recipiens in quo influit Spiritus cum oleo.

NB. *Salia volatilia à suis oleis mundantur & albificantur cum Alcool vini, & sic in primâ destillatione erunt æqvè pura, ac si resublimata fuerint.*

TAB. III.

Exhibet delineationes instrumentorum à D. TRAUTBECKIO *inventorum.*

Fig. I. REpræsentat D. TROUTBECKII Furnum.

Fig. II. Vas circulatorium.

Fig. III. Vas destillatorium.



Qvæ-

INDEX RERUM & VERBORUM.

For-

Me-

FINIS.

Chymiæ

CHYMIA
CURIOSA
VARIIS,
Non ſolum ex Regno vegetabili, ſed etiam ex
MINERALI & ANIMALI,
Experimentis adornata.

S. L. D.

Ubi deſinit philoſophus naturalis, ibi incipit elegans medicus, inquit ARISTOTELES. *Ut enim plantæ radices ſuas in terra fixas habent per quas alimentum ſuſcipiunt, conſervantur tamen ambientis aeris temperie, & vitali Syderum influxu vegetantur: ita quoque ars curandi homines, ex media philoſophia principia & fontes ſuos petit,*

qui deinde particularibus medicinæ præceptis illustrantur & confirmantur. Quare medicina *nihil aliud est, quam particularis quædam, & sensibus objecta* philosophia Naturalis. *Physicus enim in universum omnia naturalia corpora, atque etiam humanum, scientiæ causa considerat: At* Medicus *experimentiæ causa, præprimis circa humanum corpus versatur, non tantum sciat illius naturam, sed potius ut ex hâc scientiâ modum operationis & actionis deducat. Quemadmodum ergo ad moralem philosophiam Jurisprudentia, ad metaphysicam Theologia, ita ad naturalem Sacra Medicina.*

VALE.

CAP.

J. N. J.

Caput Primum.

De

Laude Chymiæ.

§. 1.

Inter cæteras artes, quas in communem salutem divina humano generi concessere consilia, *Chymiam* nobilitatis radiis micare, veritatis splendore scintillare, certisque fundamentis niti, uno ore constantique testimonio affirmant philosophi omnique exceptione majores summi monarchæ, virique plurimi integerrimi: & quidem illi, diversissima, distantissimaque incoluerunt loca, diversis etiam vixerunt temporibus, ita ut à se invicem illum errorem (sic enim vocant misochymici) discere potuisse non videantur: unde apparet, consensum illum tam late patentem non unius urbis, sed orbis, aliud nihil, quam evidentissimam infallibilemque veritatem continere.

§. 2. Præterea hæc ars, æque ac aliæ artes & scientiæ laudatæ à DEO originem deducit suam, quod HERMES maximus ille philosophus testatur, quando in hæc verba erumpit: Artem hanc & scientiam solius Dei vivi inspiratione habui, qui mihi famulo suo pandere dignatus est.

§. 3. Chymistas eos voco, qui vi ignis corpora heterogenea solvere, homogenea coagulare norunt, philosophiæ naturalis in mediam hominum vitam deducti non unius generis coloni. Quemadmodum enim vulcanus tripodas divinos suapte sponte mobiles Diis apud HOMERUM, *Jovi* item fulmen, *Apollini* & *Cupidini* arcum & sagittas fabrefecit, sed & Diis ipsis pocula miscet, ex ipsius certe Jovis cerebro minervam sapientiæ *DEAM* quam elegantissime elicit, hominibus insuper pandoram illam venustissimam simul & perniciosissimam superum jussu confecit: Sic quoque per omnes humanas actiones vulcania ars quæ ignis beneficio naturalem actionem æmulatur, in quibusdam etiam superat, longe lateque diffunditur. Quæ ut respectu subjecti in lapidariam metallicam, vegetabilem & animalem dividi queat: respectu finis, cujus causa suspicitur, & metallariorum, & aurifabrorum & vitrariorum, inprimis vero medicorum non honoraria tantum, sed

etiam

etiam vicaria pedisſequa eſſe videatur, eoque nomine ad alias atq; alias mechanicorum opificum claſſes referri poſſit atque debeat.

§. 4. At hic tamen Inſtrumenti ipſius, ignis videlicet, reſpectu, inter igniarias artes merito collocabitur propter mechanicam ipſam tractationem, quæ alioquin, ſi theoriam ſpectes, non modo inter theoricas, verum etiam Acroamaticas & epopticas referri mereatur, philoſophiæ naturalis occultæ magiſtra ſimul & diſcipula, majeſtatem ſuam venerando, admirationis arcanorum ſilentio tueri ſolita: ut qui hanc, præterquam in iis, quorum evulgatio plus commodi quam incommodi mortalibus affert prophanare inſtituunt, ſacrilegii nomine jure poſtulâri queat.

§. 5. Hinc ἀπὸ τῶν χυμῶν chymiam appellarunt plerique, ſed recentiores: Suidas & Cedrenus χημεῖαν in certa notatione. An forte cum PLUTARCHUS in oſiride Ægyptum ſacra lingua à Sacerdotibus chemiam vocari ſcribat, veriſimile videatur artem iſtam jam inde à HERMETE TRISMEGISTO Sacerdotibus Ægyptiis familiarem, ad perpetuam ortus ſui memoriam chemiæ quaſi ægyptiæ nomen traxiſſe. Quam poſtea ARABES ab ÆGYPTIIS ſuſceptam excoluerunt, & una cum Philoſophia græcanica ſenſim europæo orbi communicarunt,

runt, articulo, linguæ ſuæ familiari, auctiorem Alchemiam appellantes.

§. 6. THEOPHRASTUS PARACELSUS Vir in hoc genere ad miraculum usque exellens ſpagiricam artem nuncupavit, non inepta fortaſſis derivatione, quandoquidem ἐν τῷ πᾶν καὶ ἀγείρειν, in extrahendo ſive ſeparando, & congregando ſive coagulando tota occupatur: Eam cum alii nimio ſtudio Solam philoſophiæ appellatione dignandam cenſeant, adeoque ſuperbo titulo ſeſe eximie philoſophos vocari velit: alii è contra in conſulto ſectæ odio arcanis naturæ Scrutatoribus vix inter lixas & ciniflones & carbonarios locum concedant, quid de ea GUL. Aragoſius in omni philoſophiæ ac medicinæ genere verſatiſſimus, tanquam PLATO futurus inſtar omnium, ſtatuat, audiamus.

§. 7. Mechanicus proprie dicitur opifex eorum operum, quæ manu & ingenio ſimul fiunt. Nam in omni artis mechanicæ opere motus principium ab artificis ingenio deſumitur. Manus vero ſuper materiam motum continuans, formam è potentia in actum (ingenio ſemper duce) elicit ac ſola per ſe, inſtrumento convenienti adjuta, opus ipſum perficit, in quo opere artifex non conſiderat cauſas, ſed habet uſum exercitatum pro notione cauſarum. Atque is abſolute mechanicus appellatur.

§. 8. Chy-

§. 8. Chymicus vero bifarie consideratur; Est enim una pars Chymiæ naturalis, altera vero supernaturalis. Ea quæ naturalis est, habet motus principium à natura, & ideo est essentialis in natura. Artificis vero manus, naturalis non est, nec per se, sed per accidens naturam juvat: materiam ita disponens, ut opus ipsum natura citius, facilius ac perfectius ad finem deducat. Quod quidem opus ultra limites naturæ, quæ est rei perfectio, deduci & extendi non potest. Unde patet, quod hæc pars chymiæ est naturalis & per se: sed qua parte juvatur ab artificis manu, est per accidens mechanica; ex parte vero ingenii ratiocinantis est physica. Ergo non mechanica.

§. 9. Jam quod alteram chymiæ partem spectat, quæ supernaturalis, habet illa motus principium à Cœlo, in materia tamen physica & naturali prædicta, gravida facta à virtute cœlesti: quam ESSENTIAM QUINTAM appellant. Hanc materiam dum artifex physicus recte & ordine suo ingenio & manu disponit, cœlestis hæc virtus eam in suam naturam convertit, eique talem vim præbet, ut reliqua, quæ sunt sui generis aut speciei in suam naturam transmutet. Hæc igitur quatenus cœlestis est, ex parte agente, & ee materia in cœlum mutata, est supernaturalis & metaphysica; quâ vero parte physici

artificis ingenium operatur per caufas notas, eft naturalis. Manus autem operatio, quæ à motu fupra naturam fumitur, divina potius quam humana, artis mechanicæ umbram folummodo oftendit. Ex prædicto patet, in quo genere vulgares chymiftæ collocari debeant.

§. 10. Nam dum principia & caufas notas non habeant, nec certa arte in rebus præparandis ufu, fed per medicamenta fuffragia opinionem, ignium & inftrumentorum tempus & carbones abfumunt, tantum abeft, ut chymiftæ Phyfici aut Metaphyfici dici poffint, ut ne mechanici quidem nomine facile mereantur. Qui vero in oleis & reliquis partibus fimplicium extrahendis ingenio & manu ita exercitati funt, ut ex rerum præparandarum ufu artem recte teneant, ii revera funt mechanici, dum manu & ingenio fimul operantur. Dum autem medicam artem exercent, empyricorum nomen habent. Qui vero Talia ad caufas & principia naturalia reducere conantur, ex ingenio quidem in natura ratiocinante, mechanio phyfici per fe, ex manus vero operatione per accidens proprie dici debent. Hæc ille.

§. 11. Ut nonnulla addam; quod illic de patre familias PLAUTUS affirmavit, in una effe unum Dominum fervum domo, id de arte ifta

ista pronunciare possum, in una esse unam servam chemiam domo. Nam præter id quod metallaris fabris omnis generis, fullonibus, coquis, & medicis potissimum inservit, sive subjecti, sive finis respectu consideretur; catholica quædam censeri poterit. Etenim quoad subjectum, circa elementa occupatur: Ignem vegetando, aquam eliciendo, lapides conflando, Uniones, gemmas ad naturæ imitationem effingendo, metalla depurando, segregando, perficiendo: stirpes producendo, transformando, animalia generando, fœcundando medendo. Quoad finem vero, siquidem remaffectam species, sic vinum, salem, saponem, succum pinguem, glutinosum, liquidum gelidum, ignem, aërem producit: sin usum sic θρεπτικὴ est & θεραπευτικὴ, cum vel alimentum vel medicamentum, quo subtilius eo efficacius, tam animatis quam inanimatis corporibus, suggerere & accommodare studeat.

CAP. II.

De

Secretioribus Medicamentorum præparationibus & usu.

§. 1.

QVicquid sagax & inimitabilis natura, ad mortalium calamitates propulsandas,

ſanitatemque in ſuo robore ſtabiliendam excogitavit unquam, id è triplici penu eruendum optime cenſuit: *Vegetabili* nimirum *Animali* & *Minerali*, nec ipſi ſatis fuit, tantam plantarum copiam adinveniſſe, quæ noſtris ſuperandis morbis ſufficerent, ni animalia ſimul & mineralia in uſum advocarentur.

§. 2. Unde haud exigua ſuſpicio, num morbi pariter è triplici illo penu depromerentur? Vegetabilium atque animalium quotidiano uſu humana corpora manifeſte alterari, nemo eſt qui ambigat, quandoquidem hæc duo in noſtri alimoniam cedant. Mineralibus non ideo aperte ſed occulto quodam modo veſcimur, verum cæteris edulijs naturæ induſtriæ cum his admixtis, uti vini exemplo liquido conſtat, quod in ſuo tartaro naturam quandam metallicam è terræ viſceribus hauſtam continet.

§. 3. Mitto aquam, qua quotidie utimur, varia ſalium & mineralium genera in ſe coërcere. Qua de re horum trium naturam, vires & facultates jam dudum contemplati, præcipuas, & quas potiſſimum in medicina factitanda uſurpamus, ſeligere, atque commodo publico tradere cupientes, præfatum naturæ ordinem ſequi, optimum duxi.

CAP.

CAP. III.

De

Medicamentorum præstantia, subjécto, & officio chymicè præparatorum.

§. 1.

EA medicinæ pars, quæ medicamentorum præparationem docet, olim unicam nunc vero duplicem agnoſcim9; antequam(pharmaciam)& recentemlicet antiquiſſimam,quæSpagyri ca & Chymica dicitur. Si ad hanc legitimi ejus uſus cognitio accedat, verè phyſica dicetur, omnium ſcientiarum nobiliſſima, utiliſſima & præſtantiſſima, cujus finis & intentio ad ſanitatem perpetuo dirigitur, ſibique pro ſubjecto vendicat rem omnem ad humani generis commodum primitus comparatam. Hujus partis tanta eſt dignitas & præſtantia, ut nil ſit, quod tam de repente medicum exornet, nobiliter, & clarum, famoſumque reddat.

§. 2. Hæc firmiſſima naturæ clauſtra reſerat, corpora in ſua elementa, & elementa in ſua principia reſolvit. Qui ea claruerunt olim, apud Indos *Gymophiſtæ*, apud Perſas *Magi*,

Magi, apud Gallos *Druidæ*, vocabantur. Ei quandoquidem virtutum omnium terreſtrium, cœleſtium, animalium, vegetabilium, & mineralium clavis concredatur. In ea non modo rerum eſſentiæ perpenduntur, verum & in lucem conſpectumque hominum adducuntur, purum ab impuro ſegregatur, cortex à nucleo, contrarium à contrario, multa denique miranda præſtat, & multo majora, quam quæ humanus intellectus excogitare poſſit.

CAP. IV.

De
Regno Vegetabili.

§. 1.

VEgetabilia ex quibus prima morbis accommodata remedia educimus, multiplicia ſunt, vel enim exotica, & è diſtantiſſimis maris tractibus allata vel noſtratia, ſub cœlo, ſoloque noſtro nata. Inter hæc ſunt, herbæ, frutices, ſubfrutices, arbores & ſimilia, quæ integra eorum partes ſumimus, vel radices, cortices, ligna, folia, flores, fructus, ſemina, gummi, reſinas, & alia; his aliquando cum aliis mixtis; nunc in formam deco-

decoctionis, julepi, syrupi, pulveris, confectionis electuarii, opiatæ, pillularum & similium, nunc in formam aquæ, olei, salis, extracti, clysmi magisterii, &c. chymice paratorum. Et quia Enchiridion est, pauca Selectiora, quibus in curandis morbis utimus, describere volo.

De oleo Cinnamomi.

§. 2. Oleum cynnamomi legitimè præparatum, inter efficacissima confortantia Spagyrica referri potest. Et licet ejus præparandi modus cuivis in chymicis exercitato sit obvius, hic tamen obiter monendum, aromata destillanda in pulverem non esse redigenda, ut quidam præpostere facere solent; sed tantum in frusta confringenda, modicumque contundenda, alioquin dimidio minus tibi olei suppeditabunt, ut periculo facto aliquoties nonnulli sunt experti. Hac via major olei copia haberi potest, quam vulgaribus destillationibus.

§. 3. Confractum selectissimum cynnamomum in retortam vitream immittas & in balneo vaporoso destilles, tunc exit aqua & oleum simul: illam aquam recenti ligno affunde & perge in destillatione, quam si continuaveris aliquoties dicto modo, habebis

magnam

magnam copiam aquæ & olei, fœces in fundo omnino aridas fubnigras & infipidas.

§. 4. Omnia principalia membra corporis confortat, imprimis ventriculum frigidum, cor & cerebrum, anhelitusque foetorem abigit, ejusmodi fuavitatem inducit. In univerfum balfamo naturali (ficuti etiam oleum caryophyllorum) refpondet, intus putrefactionem arcet. Extrinfecus omnia recentia vulnera feu ulcera confolidat. Tollit tuffim frigidam & capitis dolorem. Provocat menfes, partum promovet. In deliquiis animi eft fingulare medicamentum, ficuti etiam croci effentia, per aquam vitis extracta, fumma eft medicina, ubi aliquis quafi ad defperationem è nimia triftitia venit. Dofis 2, vel 3. guttæ è vino, aqua meliffæ, vel alia fpecifica. Hac via fere ex omnibus aromatibus olea elicere poteris longè efficaciora & fubtiliori quam vulgari via præparata: è caryophillis fcilicet, nuce mufcata &c. Hæc olea fi ufum medicum adhibere volueris, fiat hoc alvo aperta, & gravidis ultra guttas duas vel tres non afferenda; ufus olei cynamomi convenientior hyeme, quam æftate. Vide plura in differtatione medica JOHANNIS THEODORICI SCHENCKII de cynnamomo pag. 31. 32. 33. & feqq. Tinctura quoque paratus ex cinnamomo, quam vide in chymia medico-

medico-physica JACOBI LE MORT. p. mihi 183. & seq.

De speciali salium Vegetabilium præparatione.

§. 5. In unius cujusque plantæ sale conficiendo si herba virens sit, & succulenta prius aquam ab ea distrahe, eamque seorsim serva, siccatam herbam in olla terrea vitreata combure adjustam incinerationem, cineribus in vase vitreo urinali, aut simili affunde aquæ supra dictæ quantum quatuor digitos supereemineat, bulliant parum, & colentur, relictis cineribus novam aquam reaffunde, quæ iterum bulliat & coletur, tum istæ aquæ sive lixivium utrumque filtra, & per alembicum omnem humiditatem abstrahe, in fine parum humiditatis relinque, ne volatiles spiritus evanescant, quod facile per incuriam contingere solet, propterea melius erit in fine vas in stuffa collocare vel calido aëri exponere, quam subtiliorem partem perdere ob nimiam & festinatam exsiccationem, sal ut purior eradat cum extracta aqua dissolvatur, filtro percoletur & denique exsiccetur.

§. 6.

De quinta Essentia Menthæ.

℞. Menthæ siccæ quantum vis.

Con-

Conscindatur in minutas partes, deinde adde aquæ communis tepidæ quantitatem S. Sacchari octavam partem respectu menthæ.

Fermenti cerevisia cochleare unum vel alterum, ut fermentationem suscipiant. Fermentatione cessante post duas vel tres circiter septimanas, distilletur liquor, si prodit Spiritus una cum oleo. Spiritum hunc ab oleo separatum rectifica ad summam usque puritatem, dein in cineres reduc magnam satis quantitatem stipitum menthæ, ut inde sal elixiviari possit secundum artem.

℞. Salis hujus partes duas.
Olei partem unam.
Spiritus subtilissimi part. 5.

Digerantur simul in M. D. per quatuordecim dies vel ulterius, donec omnia fere unita sint, liquor hic postmodum usui reservetur. Egregium est confortativam ventriculi, vermes necat, flatus discutit, sanguinis conglutinationem impedit. Dosis à gutta 1. ad guttas 10. 11. 12. Eodem modo ex melissa lavendula, majorona omnibusque aliis herbis aromaticis. Q. E. fieri queunt.

De Magisterio Herbarum.

§. 7. Accipe herbas easque tusas vini ardenti, permisce, atque per mensem putrefieri

fieri finito, postmodum per balneum maris destilla, destillatum iterum reaffunde, sicque tamdiu procedendum quousque tota quantitas ardentis vini quater succis herbarum minor sit. Hoc ipsum destilla per pelicanum novis cum additamentis uno mense, tandem separato, quo peracto magisterium habebis materiæ, vel herbæ quam accepisti. Majus in extractionibus istis latet artificium, quam dicitur aut intelligitur, quamvis integer processus hic demonstretur.

CAP. V.

De *Mineralibus ac Metallis*.

§. 1.

CUm *Præpotens rerum Conditor* totam hujus universi machinam cœlum & terram creavit, hominemque ad *IMAGINEM* suam animâ rationali & humano corpore illius ergastulo condecoravit, eodem etiam tempore terram variis & immensis beneficiis ad vitæ humanæ sustentationem necessariis accumulavit : sylvas multiplici animantium genere & sexu, mare & flumina reliqua piscibus, Aërem volatilibus, campos herbis, fruticibus, arboribus & innumeris ornavit flori-

floribus, ac montium unà metallis ac mineralibus ditavit, ut cœleste animal Homo, in quem quasi omnia sunt congesta, quæ *Numinis Divini Majestas* in res cæteras aliud alii tribuens dispertiit, Dominus illorum sit, quibus partim ad corporis tutelam, partim ad medicinam in casu necessitatis uti possit Ex quibus naturæ consulti, & ex his medici, tria formarunt regna, *vegetabile*, *minerale* & *animale*.

§. 2. Mineralia ac metalla longis parasangis superant medendo vegetabilia & animalia. Sunt enim metalla ac mineralia specula quædam lucentia, quæ vim habent penetrandi & illuminandi Archæum à suis erroribus, furoribus & defectibus, quod illum restituant in nitorem tinctura totalis perfectionis. Et quanquam hujusmodi mineralia non sint cibalia, vel de sorte corporis humani, internam tamen vim speculi habent & maxime efficacem potestatem. Archæo humano integro & sedato contiquam, qualis erat Archæus ante conceptam mentem, quæ postmodum à recto sui tramite alienata est. Has insignes dotes à DEO Ter opt. Max. obtinent, ut plenissime ac pertinaciter digestivæ resistant, ne in alimentorum deflectant rempublicam uti *Acutissimus* HELMONTIUS loquitur, & ita servent geniales sui potestates liberas & infractas.

Ge

De infusionibus metallorum.

§. 3. Infusio, qui & maceratio dicitur, ut perfacilis ac trita, ita paucis innotescit. Fit vero infusio in aliquo liquore, nam non nisi sicca, dura, aut similia, quæ aliquo humore indigent, ad transmittendam ejus facultatem infunduntur, & hæc vel integra, vel trita, aut minutim concisa, vasa ad id opportuna, non sunt à vasis decoctionum dissimilia. Tempus, quo id fit varium est, quod passim in decoctis, extractis, distillationibus, & aliis operationibus observare licet.

§. 4. *Saturnus* calcinatus in aceto infusus inflammationi cito succurit, oculorum ophthalmiæ medetur. *Jupiter* sive stannum calcinatum & in vino infusum, mira præstat in affectibus uterinis. *Martis* seu ferri calcinati in fusio in vino, mulieris obstructiones reserat, menses movet, & lienis tumores dissolvit. *Solis sive auri* infusiones mirabilia præstant in palpitatione cordis, syncope animi, deliquio &c. *Veneris* calcinatæ & totæ, in fusio: in renum affectibus mirabiles edit effectus, & extrinsece oculorum vitiis omnibus succurrit. *Lunæ seu argenti* calcinati in fusio, in aqua communi facta oculis pariter succurrit, multa & alia præstat, de quibus *Systemate* (Deo dante) *chymia curiosa plura.*

De Croci Martis Essentia.

§. 5. Recipe scoriam ferri cæruleam (*Noribergæ ubi lamina chalibeæ fiunt optima haberi potest*) vitrescentem rejectam in illis locis, ut & in aliis præprimis in *Suecia*, ubi minera ferri funditur, tere in pulverem subtilissimum, pone in vitro, affunde acetum vini destillatum acerrimum, stet in calore mediocri per 14. Dies, & tingetur colore rubro, filtra & abstrahe in balneo, remanet materia rubra, à qua ter vel quater aqua pluvialis abstrahitur, ut sapor aceti evanescat: potest etiam prius in tigillo, in arena calida parum calcinari movendo, ut aceti acrimoniam amittat, & postea cum aqua edulcorari, si debite tractetur, sponte sese in cella postea pars in oleum supra marmor resolvit. Hæc croci essentia in medenda longè efficacior est, quam vulgaris crocus Martis reverberatione per se factus, immittendo baculum ferreum vel chalybium in fornacem vitrariam vel irrorando laminas chalybeas aceto, & postea easdem in reverberatorio ad rubedinem saltem ne nigrescat reverberando.

Vires ejus.

§. 7. Conducit insistendis mensibus, & fluxionibus intempestivis, prodest quoque albæ profluvici mulicrcularum, gonorrhœæ, Hæmorr-

morrhoidibus, dysenteriæ & diarrhϾ, urinæ incontinentiæ; Hemorrhagiæ internæ & externæ: si ejus â scrupulo, ad drachmam semis cum succo cydoniorum condensato, seu conservæ rosarum drachmis tribus assumatur aut vulneri sanguinem fundenti aliquid inspergatur. In omnibus jecoris & lienis obstructionibus deploratis: sed sumentes prius medicinis attenuantibus & alvum subducentibus purgatos esse oportet. Lienosis datur ex aqua Asplenii, Ad anti Tamarisci. In hepatis affectionibus, in aqua cychorii, agrimoniæ exhibetur, tunc sistit sanguinis sputum. In morbis dissolutis, hydrope & aliis ubi consolidatione opus est ventriculum corroborat, & nauseam tollit, in conserva rosarum, vel vino generoso. Dosis à gran. 8. 10. 12. ad 15. in Vino rubro. Aqua plantaginis. Bursæ pastoris, tormentillæ in conserva Symphyti.

De Antimonio Narcotico.

§. 8. Recipe antimonii ℔. 1. salis petræ purgati tantundem, calcina igne circulati, in vase liquationis seu tigillo alto, ignem paulatim agendo per horas tres aut quatuor. Deinde calcina iterum cum sale nitro, ac per aliquot horas da ignem fortissimum, ut tigillus candeat. Antimonium exime, con-

tunde, ſolve in aquam, ſi de ſale adſit aliquid, per philtrum abjiciatur & abluatur. Remanentia exſiccetur, & reverbera per aliquot horas, evadet leniſſimus & albiſſimus pulvis. Doſis a gr. 3. usque ad 9. in febribus tertianis & quartanis. De Antimonio vide plura apud JOHANNEM GLASERUM in tractatu quem teutonice vocamus Chymiſcher Wegweiſer.

Eſſentia ſive TINCTURA ſtimmeos.

§. 9. Crudum antimonium in ſubtiliſſimum Alcool translatum aliquo liquatorio injice, primo inobturatum in ſupremo reverberationis gradu ſtet in reverberio evaporandum, deinde ſigilletur, & lento igne reverberetur; cavendum tamen ne fluat: Evaporato venenoſo ſulphure & humiditate ſua diſcuſſa cum in cinericeum pulverem abierit, tunc medius ignis gradus admovendus octo aut decem diebus continuis. Demum ſupremè agitetur in ignibus tamdiu quousque Antimonium purpurei pulveris formam obtineat. Hujus recipe reverberati Antimonii ℥ij. aquæ vitæ circulatæ ut ſex digitos excedat. Digeratur in circulatorio bene obturato per dies XII. in balneo tandem deſtillando ſeparetur, tunc color in aquam vitæ commigrabit, quæ vera eſt eſſentia Antimonii. Pulvis emortuus in fundo ſubſidet: Doſis 3 1. quando plus minuſve.

VIRES

VIRES hujus Essentiæ.

§. 10. Usus est guttarum III. cum vino quantum satis, febrisque quartanæ & omnium febrium genus iis curatur. *Hydropem* fugat, exhibendo mane 2. vel 3. ad summum quatuor guttas cum vino albo. Movet sedes ternis vel quaternis vicibus, penetrando interius universum corpus: Omnia membra duarum l. sesqui horæ spatio lassa & omnino langvida reddit, sed vel statim recuperatis viribus confortat iterum. Interius tumore ex improviso discusso & resoluto per sudorem vel urinam liberat. Per diaphorismum tumorem hydropicum discutit. In provocandis menstruis mirabile est, sic & in ictero, colicaque. Pueris duorum, trium, vel quatuor annorum feliciter adhibetur. Item in quartana & tertiana febre felicissime utitur. In morbo gallico est singulare. Scrophulæ, integram faciem occupantes hac tinctura auferuntur.

ARCANUM Quintæ ESSENTIÆ.

§. 11. Sulphuris ℥ß. sumito, Spiritus vini ℥xx. circulato ad solem per mensem, postea per alembicum agito. Hinc mixturæ ita compositæ rursum addito sulphuris ℥ß. optime clausa macerato, & deinceps, ut ante, per alembicum pellito; ℥ij. ad summum gra-

dum volatilis evehi possunt. In his autem floribus existit mumia terræ, & balsamum ejusmodi, quod nec vivum corpus ullum nec mortuum in putrilaginem commigrare sinit, sed id adeo tuetur integrum, ut neque cœlestis ulla impressio, neque ab elementis profecta corruptio, vel ab ipso ortu jam inducta, ei nocere possit. Atque hac de causa cæteras *nonnullorum* tincturas superat Balsamum sulphuris. Dosis ejus gutt. 5. è vino veteri albo. At si excellentius efficere velis, florum alborum sulphuris sumito gr. 1. Stymmeos ℥j. olei auri ℥ß. spiritus vini ℥v. macerato per mensem, & congelato in massam duriusculam, cujus dosis est. ℈5.

MERCURIUS Præcipitatus.

§. 12. Recipe mercurii benè purificati libram semis, cui affundatur lib. olei Sulphuris per campanam facti & rectificati: Compositum per duos dies in arena digeratur, postea per retortam vitream tuto munitam paulatim destilla, liquorem egressum iterum affunde, & hoc tertio reitera. Quarta vice potest adhuc semel aliquid de recenti sulphuris oleo affundi, & circa finem aucto igne, inter destillandum ita abstrahi, ut retorta candescat. sic in ipsa destillatione præcipitatur *Mercurius* in massam albam; postea fracta

fracta retorta exime illam, ac supra marmor tere, & aqua calida pluviali destillata salsedinem diligenter ablue in vitro oris ampli: agitetur probè, & per horas quatuor semper aqua prius subsideat, antequam effundatur: edulcorationem toties reiterabis, quousque nullam Salsedinem in affusa aqua amplius deprehendes, & mercurium remanentem videas versum in pulverem flavissimum, quem postea prius exsiccatum, phialæ oblongo collo bombyce claudendæ impones, & in ignem arenæ vehementissimum per octo dies digerendum collocabis, si forte adhuc aliquid de mercurio non satis præcipitato immixtum esset, illud sponte sublimabit se in vitri collum, quod postea ferreo circulo candente franges, & superiorem partem in qua crudus Mercurius affixus hæret, caute & leniter auferes, massam vero in fundo restantem eximas, & ter spiritum vini desuper incendas & postea ad suos usus reponas: tunc securè datur intra corpus. *Observationes* (1) signum veri præcipitati est, si cum auro fortiter teratur, nec aurum inde dealbetur, sicuti ex contractu Mercurii fieri consuevit (2) Non est necesse ut sit omnino fixus, ea enim ratione amitteret vim suam purgandi. (3) Nullus est præcipitatus qui non possit reduci, si fixus

plane esset, non posset in corpus humanum operari, ratione cruditatis suas operationes, perficit.

VIRES.

Mercurius est naturæ Balsamus, in quo est virtus incarnativa, quæ mirabiliter renovat & clarificat ab omnibus impuritatibus corpus microcosmicum, lue venerea infectum: ubi enim tota massa sanguinea in universo venarum ambitu corrupta est,& referta multorum morborum Seminariis, tunc hæc metallica, vi ignis attenuata, eam penetrendi vim acquirunt, ut habitum totius corporis permeent. (α) Remedium est contra infirmitates causatas ex humorum putredine & in morbis deplotatis vix experimur aliquid utilius. (β) Educit omnes vitiosos humores, & cerebri defluxiones. (γ) purificat sanguinem in venis, & medullam in ossibus. (δ) In hydrope est remedium appropriatum, habet enim vim expellendi. (ε) In podagra exhibetur cum pilulis ruffi & oleo mellis (ζ) Catholicon est in expurganda lue venerea, hujus enim *horrendæ luis* solus ῥιζότομος dici meretur radicitus enim tollit omnia ut cera venerea. (η) In *Ictero* nil præstantius.

Dosis & USUS.

A Gran. 3, 4, 5, ad 6. in corporibus præsertim

fertim robuftis. Offertur cum pilulis appropriatis. In doloribus capitis cum pilulis cochiis. In doloribus beachiorum cum pil. de Hermodactyl. vel mifcetur extractis purgantibus. In fucco liquiritiæ melius operatur quam in theriaca, offertur etiam in conferva rofarum, aut in Saccharo rofaceo, vel deglutiatur in pane hoftiario, fuperbibendo tantillum vini.

VITRIOLUM ALBUM VOMITIVUM.

§. 22. Vitriolum album folve in aqua pluviali, & evapora, donec quafi cruftra appareat, poftea per quatuor dies in loco frigido ponas, & tunc concrefcent cryftalli quos eximes, & aquam iterum evaporabis ut antea. Hic labor penitus tertio reiteretur coagulando: Ultimo ter eodem modo procedatur cum aqua rofarum. Cryftalli tandem fupra calorem levem ficcentur, & fponte redigantur in pulverem album. Hoc lene eft vomitivum & cerebrum benignè expurgat.

USUS & Dofis.

In febribus, Lumbricis, omnis generis infirmitatibus ventriculi, defluxionibus falfis hic drachma una in cerevifiæ hauftu exhibetur. In doloribus dorfi drachma femis in vi-

no

no calido. Vulnerum recentium curam promovet: Operatur hoc modicamentum varie: per vomitum, sedes, interdum etiam sudores & somnum facit.

CAP. VI.

De
REGNO ANIMALI.

§. 1.

Regnum Animale est pars chymiæ quæ medicamenta ex animalibus desumpta recenset. Animalia puta, tam viva. quam interempta; de utrisque commonere hic expedit, eligenda esse, quæ extra dispositionem morbosam, & hinc detrimentosam constituta sunt. Itaque si ex vivis excretis, provideas, sana ea sint: sin ex interemptis, interempta adhibeas illa morte violenta extrinsecus accedente. Etenim expetitur medicamentalis cujusque rei substantia, eaque ad medicationem apta, adeoque facultatibus morbosis destituta, salubribus tincturis delibata. Hæc imprimis pars rei spirituota est, in naturali scilicet dispositione constituta, facultatibusque peregrinis orba.

§. 2. Nimirum hæc, ut morte naturali paulatim fenefcens confumitur, curriculoque fuo deftinato perfuncta, in principia fua refolvitur: ita eadem ipfa, fi flamma vitalis violenter extinguatur, fuperftes aliquamdiu monet, nec à corpore feparetur, donec hujus diffolutione & ipfa diffolvatur. Et quidem talis fere illa fuperftes fuppetit, qualis erat, dum flamma illa extinguebatur, id eft falubribus, in falubribusve tincturis imbuta. Hinc itaque non raro miræ cadaverum facultates elucent, veluti præ reliquis eft vis illa formatrix, non modo è cineribus vegetabilium fufcitabilis, fed & in animalium quorundam cineribus demonftrabilis. Vid. VIGENAR. GALLUM, in tractat. Gallico de *igne* & *fale*. pag. 262.

De Aquis Animalium in genere.

§. 3. Animalium ut ftyrpium aquas præparare ubique medico reponere moris eft. Itaque aquas animalium, vel integrorum, vel eorum partium, variis modis, variisque inftrumentis elicimus. Quasdam putrefactione fubftantiarum fegregatione, heterogenearum videlicet, quibus conftat, præmiffa, quasdam nulla, fed eas ab integris feparamus: Nonnullas balneo vaporofa, atque calore aquæ tepidæ. Quasdam igne cinerum, arenæ,

igne-

igneque ipſo aperto. Quædam ſine alterius mixtione, ſeu ex ſolis animalibus, aut eorum partibus, quædam vero cum mixtione alterius, vel alicujus additione aquæ commodius educuntur, & vires & facultates augentur & nobilitantur.

De Aqua Cancrorum fluviatilium: Vermium Terreſtrium.

§. 8. Aquæ cancrorum fluviatilium, per balneum mariæ vel etiam calore cinerum exciqiuntur integri ſumuntur, iique benè loti urinali vitreo induntur, cum pileo roſtrato, ſine additione alterius liquoris, ejusmodi aqua, uſus eſt mirabilis in flammationibus ſedandis, urinam pellit, rabidorum canum morſibus ſuccurrit, vulneribus pectoris continuò ſumta mirificè opitulatur, ſitim extingit, & renum calculum comminuit. Aqua vermium terreſtrium eodem plane modo fit, ipſis prius vino albo probè à terreſtri materia lotis, & repurgatis, hæc aqua phthyſicis auxiliatur, ſanguinem ſiſtit, menſes provocat, obſtructiones reſerat, vermes puerorum enecat, intrinſecis vulneribus confert, & alia præſat.

FINIS.

Sene-

Seneca Epiſt. CXXIII.

Tenenda nobis via eſt, quam natura præſcripſit, hec ab illa declinandum. Illam ſequentibus omnia facilia, & expedita ſunt: contra illam intentibus non alia vita eſt, quam contra remigantibus.

Lucret. Lib. I.

Namque eadem cœlum, mare, terras, flumina, ſolem Conſtituunt; eadem fruges, arbuſta, animantes; verum allias, alioqui modo commiſta moventur.

SOLI DEO GLORIA.



APPENDIX
PROCESSUUM CHYMICORUM
in
JO. FRANC. VIGANI
MEDULLAM CHEMIÆ,
In Collegio Chymico
VIRI Amplissimi & Acutissimi
DN. D. JOH. BOHNII,
PROFESS. LIPS.
elaboratorum.

Processus Primus.



D VITRIOLUM ARTIFICIALE, ℞. *Limat. Martis* ℥ij. *Spirit. vitrioli* ℥xiv. M. & in s. q. *Aqua* affusa communi modo crystallisationi reponantur.

II. *SOLUTIO VITRIOLI* quidquies filtrata post unum vel alterum diem semper sedimentum metallicum ad fundum dedit.

III. Ad *FLORES HÆMATITIS*, ℞. *Lap. hæmatit. Sal. armon. aa.* ℥ij M. D. ad Retort. vitr. sicque aliquoties sublimetur.

IV. Ad *FLORES MARTIS*, ℞. *Limat Martis, Sal, armoniaci aa* ℥ij. Fit ut in præcedenti.

V. Ad

V. Ad *PRIMUM ENS VENERIS*, ℞. *Colcbotar. Vitrioli edulcor. & septies spir. arinoso irrorati, Sal. armoniaci aa* ℥j. ʒvj. In Retorta sublimetur, Hoc Crocei coloris atque saporis accepimus.

VI. Ad *CROCUM MARTIS APERITIV. & VITRIOLUM ARTIFICIALE*, ℞. *Limat. Martis* ℔j. *sulphur. crud.* ℔ijß. M. & in crucibulo fundatur, calcinatum constituit *Crocum mart.* adstring. si verò *Aqua* affundatur, *Vitriolum.*

VII. Ad *AQUAM REGIAM secundum VIGANUM*, ℞ *Vitrioli Goslariens. ad flaved. calcinat Nitri purificat. aa.* ℔j. *salis marin.* ℔ij. *Calc. viv.* ℔ß. M. D. ad Retort. Minus feliciores in hoc processu fuimus.

VIII. Ad *AQUAM FORTEM*, ℞. *Vitrioli Goslariens. ad flaved. calcinat. Nitri purif. aa.* ℔j. M. *D.* ad Retortam figulin. ignique aperto tradatur, in admodum exigua quantitate prodit.

IX. Ad *SPIRITUM NITRI*, ℞. *Nitri depurat.* ℔iß. *Boli* ℔vij. Contus. M. D. ad Retort. Extillavit in larga satis quantitate.

X. Ad *EUNDEM*, ℞. *Nitri depurat.* ℔ß. *Spir. Vitrioli phlegmatici* ℥iv. M. D. ad Retortam vitream: Bene hæc operatio successit.

XI. *ITEM*, ℞. *Nitri, sulphur. aa. part. aq.* M. D. ad Retortam tubulatam cochleatim: hoc modo nullus spiritus prodiit.

XII. *ITEM*, ℞. *Nitri part j Carbon pulverisat. part. iv.* M. D. ad Retortam tubulatam cochleatim. Et hæc massa nullum spiritum fudit.

XIII. *ITEM*, ℞. *Calc. vivæ* ℔iij *Nitri depurat* ℔j. M. D. ad Retort. sed non ex voto successit.

XIV. Ad *SPIRITUM SALIS*, ℞. *Sal. marin* duodecies depuratum cumque tertia parte Boli mixtum dedit Spiritum salis laudabilem.

XV. Ad *EUNDEM*, ℞. *Sal marin.* ℥iv. *Ol. Vitrioli* ℥iij. M. D. ad Retortam vitream cum affusa aqua accepimus *Spirit.* ℥ixß. *phlegmat.* ℥viß. *Cap. mort.* ℥vj.

XVI. Ad *SPIRITUM VOLATILEM URINOSUM TERRÆ NITROSÆ*, *Rec. Terræ nitrosæ s. q.* D. ad Retortam terream & vehementissimo igni destillatur, prodit Spiritus volatilis sapore salso, qui postmodum cineribus clavellatis rectificandus: Not. Sal. Cap. mort. Terr. Sali comuni sapore simile videtur.

XVII. Ad *OLEUM PHILOSOPHORUM*, *Rec. Lateres probè candefactos*, intingue in *s. q. Ol. oliv.* eosque contusos immitte in retortam terream, Color hujus Olei est duplex, unus superior oleosus ac citrinus, alter aquasior ac albicans.

XVIII. Ad *PETREOLUM ARTIFICIALE*.

Rec.

Rec. Salis marin. Ol. com. ſ. q. D. ad retort. vitream & vehementiore ignis tortura deſtilletur. Hoc Oleum cum tantillo ſalis decrepit. duabus & cum cineribus clavellat. novem vicibus cohebatum fuit. Habet odorem penetrantem, ſaporem Roriſmarini & pene inſipidum ſeu aqueum.

XIX. Ad *SPIRITUM NITRI Reiteratum.* Rec. *Spir. nitri ex Sal. marin. & Ol. Vitrioli parati ℥iij. Sal. com. in Aqua ſolut. ℥ß.* M. D. ad retort. Ad ſolutionem ſal. marin. ſuaſimus ℥viß. phlegmatis ſupra dicti Spir. nitr. & aq. com. ℥ij. prodibant Spir. ℥xij. Ex ℥iij. prioribus acceſſere ℥ix.

XX. Ad *SPIRITUM SALIS perpetuo fumantem.* Rec. *Spir. ſalis rectificati q. ſ.* Hic affunditur *Calc. vivæ* tamdiu, donec omnis ebullitio ceſſet, materia hæc *Aqua diluta* filtretur, filtrata ad ſiccitatem uſque evaporetur, quo facto: *Rec. Salis hujus evaporati, fuſi & contuſi ℥iv. Calc. vivæ ℥j.* Miſc. D. ad retort. figulinam igni aperto exponendam. Non ſucceſſit, nec fumulus quaſi momentaneus apparuit.

XXI. Ad *SPIRITUM VIRID. ÆRIS Aceto impregnat.* Rec. *Virid. æris* ℔j. Huic affund. *Acet.* exſiccato novum reaffundendo, hæcque aliquoties continuando, exſiccetur, ac retortæ intruſum igne aperto deſtilletur, accepimus Spirit. rectif. ℥ij. Cap. mort. ℥vß.

O 2 XXII. Ad

XXII. Ad *SPIR. BACCARUM SAMBUCI per Fermentationem* Rec. *Bacc. Sambuc contusar.* ac recent. vase amplo vitreo vé include, affundatur secum cerevisiæ cum aqua calida ℔j. mixtar. stet in loco calido digestio.

XXIII. Ad *SPIRIT COCHLEAR per Fermentationem*, Rec. *Herb. cochlear cum fecibus mixtam & conclusam.* D. ad Cucurb satis amplam, sicque fermentationi exponatur

XXIV. Ad *SPIRITUM TARTARI*, Rec. *Tartar rubescent* ℔x. D. ad retortam terream, igneque Reverberii torqueatur.

XXV. Ad *SACCHARUM SATURNI*, Rec. *Minii* ℥ij. D. ad Cucurbitam, & affund. q. s. *Acet. destill.*

XXVI. Ad *SAL MIRABILE Glauberi*, Rec. *Cap mort Spir Sal.* & *Salis marin* ℥iv. & *Ol. vitrioli* ℥iij. facti, solv. & sec. art. crystallisetur: ex voto successit.

XXVII. Ad *FLORES SULPHURIS cum Spiritu Terebinth.* Rec. *Flor. sulphuris* ℥j. *Ol. terebinth.* ℥ij M. in loco calido digerantur.

XXVIII. *ITEM*, Rec. *Flor. sulph. & ciner. clavellat. aa. part, æqual* Sulphur prius liquefiat postmodum injectis ciner. clavellatis calcinetur, quo facto affundatur Ol. Terebinth.

XXIX. Ad *FLORES SULPHURIS cum Spiritu Vini tartarisat.* Rec. *Sulphuris cum ciner clavell. calcinat.* affundatur *Spir. vini tartarisat*, & in loco calido digeratur.

XXX. Ad

XXX. Ad *LAC SULPHURIS*, Rec. *Sulphur & Ciner clavell aa affusa Aqua in Tincturam rubicundissimam* coquantur, postmodùm materia adhuc calida filtretur, filtrato affund. *Acet. destill* usque ad perfectam saturationem, hoc recipit Tincturam satis albam instar lactis, præcipitatum filtretur, & pro usu servetur. Si solutio sive materia lactis hujus ad siccitatem evaporetur, exinde possumus elicere Tincturam sulphuris ex affusione spir. vini tartarisat.

XXXI. Ad *SPIRITUM SACCHARI SATURN.* Rec. *Sacch*, ℥xiij. destilletur igne aperto.

XXXII. Ad *TERRAM FOLIAT, TARTARI*, Rec. *Salis Tartari* ℔ß. affund. *Acet. destill* tantum, quantum pro saturatione illius sufficit. Ultimò aliquoties cum *Spiritu Vini tartarisato* cohobetur. Accepimus ℥vß.

XXXIII. Ad *SPIRITUM VINI TARTARISATUM*, Rec. *Sal. tartar*. ℥vß. affundatur, *Spir. vini* ℔iv.

XXXIV. Ad *MART. SOLUBILEM Willisii*, ℞. *Limatur. Mart.* ℥iij. *Crem. tartari* ℥iv. affusa aquâ coquatur tamdiu, donec totum concretum solutum fuerit.

XXXV. Ad *ALIAM PRÆPARATIONEM & quidem ipsius Willisii*, ℞. *Limat. Mart. Crem. tartari aa*, ℥iiß. contundatur & in partem cum

aqua communi redigantur, ex qua globuli formati & papyro duplicato arctè inclusi in loco tepido exsiccentur, hoc aliquoties continuando.

XXXVI. Ad *SPIRITUM URINOSUM RUTÆ*, ℞. *Rutæ putrefact.* tantùm, quantùm Retorta capere potest, sicque ex arenâ destilletur.

XXXVII. Ad *TINCTURAM TARTARI*, ℞. *Sal. Tartari fusi & calidè triti s. q.* imprægnetur *Spir. Tartari*, & postmodùm affund. *Spir Vini tartarisat.* ad duorum digitorum eminentiam, fiatque digestio.

XXXVIII. Ad *EUNDEM*, Rec. *Sal. tartari fusi & calidè triti q. v.* celenti adhuc affundatur Spirit. Vini tartarisat. ad duorum digitorum eminentiam.

XXXIX, Ad *SAL. TARTAR. VOLATILE*, ℞. *Sal. Tartari fusi & frigefacti* ℥ij. *Ol. ejusdem fœtid.* ℥j. Probè misceatur & aliquoties sublimetur.

XL. *ITEM*, ℞. *Sal. tartari fusi*, *Spir. ejusdem aa. s. q.* exquisite invicem mixta serventur per aliquot dies in digestione, quo peracto toties, quoties Sal in forma volatili non ascendit, sublimetur.

XLI. *ITEM*, ℞. *Sal. tartari fusi, Ol. Terebinthinæ aa. s. q.* Post aliquot septimanarum digestionem misceatur, v. gr. Rec. *Hu-*

jus

jus salis ℥viß. *Boli* ℥xixß. sicque destilletur igne aperto.

XLII. Ad TARTAR. *Tartarisatum*, ℞, *Crem. tartar.* ℥iij. *Sal tartari* ℥j. ℥iiß. vid. D. *Colleg. Chym.*

XLIII. Ad TINCTURAM CORALLORUM, ℞. *Corall. rubr.* ℔j. D. ad Recortam terream igneque violentissimo tractentur. Vid. *dict. Colleg. Chym.* vix ℥j liquoris flavescentis prodiit.

XLIV. Ad *SAL. TARTAR. VOLATILE*, ℞. *Alum. ust. Sal tart. aa.* ℔ß. destilletur igne aperto, vid. *Dictata.*

XLV. Ad REGULUM ANTIMONII SIMPLICEM, Rec. *Antimonii crudi pulverisat. Tartari aa.* ℔j. *Nitri depurat.* ℥iijß. & ℥ij, mixta ingerantur crucibulo candenti, quæ usque ad fluoris apparitionum in igne detineantur. Vid. Collegium Chymicum. Accepimus Regulum ℥iv. & ℥iij. scoriarum ℔ß.

VLVI. Ad TINCTURAM ANTIMONII VENEREAM, ℞. *Reg. Antimonii* ℥iv. *Veneris* ℥ß. *Nitri depurati* ℥viij. Vid. etiam Collegium Chymicum.

XLVII. Ad ANTIHECT. POTERII, ℞. *Reg. antimonii* ℥vj. *Stanni* ℥iv. *Nitri depurat.* ℥xxj. Vid. dict. s. l.

XL VIII. Ad TINCTUR. ANTIMONII, ℞. *Antimon. crud, Sal. tart, aa* ℥iv. Vid. Colleg. Chym. s. l.

XLIX. Ad TINCTUR. ANTIMONII JOVIALEM,, ℞. *Reg. antimonii simpli* ℥ij. *Stanni* ℨij.

post fusionem supererant ℥ij. his addebantur *Nitr. depurat.* ℥vß. Vid. Colleg. Chym. f. l.

L. Ad ANTIHECT. POTER. cum VENERE *factum*, Rec. *Reg. antimonii cum Venere facti* ℨvj. *Nitri depurat.* ℥j. Vid. Colleg. Chym.

LI. Ad SAL VOLATILE TARTAR. ℞. *Terræ foliat. tartar.* ℥j. *Spirit. vini tartarisat. Spir. tartar. aa.* ℥ß. Vid. l. c.

LII. Ad SAL ESSENTIALE VINI ZWÖLFER, ℞. *Terr. foliat. tartar.* ℥ij *Sal. volat. armoniaci* ℨij. his affundatur *Acet. destillat.* & *Spir. vini tartarisat. f. q.* Vid. Colleg. Chym. f. l.

LIII. Ad FLOR. ANTIMONII *per se*, ℞. *Antimonii crud. pulverif.* ℔j. sunt in sublimatorio sublimatio,

LIV. Ad FLORES ANTIMONII cum *Additamento*, ℞. *Antimonii crud. pulverisat.* ℔ß. *Vitri pulverisat.* ℔ij. in exigua quantitate eos accepimus.

LV. ITEM, ℞. *Antimon. crud. pulverisat. Sal armoniaci aa.* ℔ß. M. D. ad Retortam vitream: bene successit.

LVI. Ad *TINCTUR. ANTIMON. COMMUN.* ℞. Ad *Scor. antimonii Spir. vini tartarisat. aa. q. f.* F. Digestio.

LVII. Ad *VITRUM ANTIMONII*, ℞. *Antimonii crud. pulverisat.* ℔ij. & ℥iß. in tigillo non vitrificato super igne per aliquot horas, donec cinereum colorem induat, calcinetur,

netur. Accepimus post fusionem vitrum hyacinthi ferè ac pellucidi coloris.

LVIII. Ad TINCTUR. *VITRI ANTIMONII*, ℞. *Vitri antimonii probè pulverisati, & aliquantum aquâ commun. ac spir. vir. aeris impragnat. s. q.* affund. deinceps *Spir. virid. æris* ad eminentiam duorum digitorum, ac servetur in digestione. Hic processus est longè laboriosissimus, multumque temporis devorans, si Spiritus hic colore rubro tinctus decantetur in aliud vitrum, novum Spir. iterum affunde, denuo decantetur, hoc tam diu continuandum, donec omnis Tinctura ex vitro Antimonii extracta fuerit, Spirit. tinctus abstrahatur ad mellaginis consistentiam: aqua commun. aliquoties affundatur, iterum abstrahatur, donec hæc insipida planè prodeat.

LIX. Ad SAL VOLATILE TARTARI, Rec. *Fecum vini exsiccat. q. s.* D. ad Retortam, igneque Reverberii destillentur.

LX. Ad TINCTURAM VITRIOLI MARTIS, Rec. *Vitrioli martis puri, Terr. fol.* Tartari *sicc. aa.* ℥j. tere probè in mortario, postmodum affund. *spir. Vin. rectif. s. q.*

LXI. Ad TINCTURAM MARTIS *Extemporaneam*, Rec. *Liq. terr. fol.* Tartari, *Mart. solaris Haßiac. aa. part. æq.* His confusis in momento (si modo liquores ritè præparati) apparet Tinctura satis rubicunda.

 LXII. Ad

LXII. Ad AURUM FULMINANS, Rec. *Aurum depuratißimum foliatum* ℥j. solv. in *Aq. reg.* & postmodùm solutio cum *Spir. sal. armon.* præcipitetur.

LXIII. Ad CRYSTALLOS *seu Vitriolum Lunæ depurat.* ℥ij solv. in *spir. Nitri* (& quod melius succedit) *in Aq. fort. præcipit.* solutio usque ad quartæ partis remanent. ex Retorta in arena abstrahatur. Fiatque s. a. Crystallisatio.

LXIV. Ad OLEUM TEREBINTH. Rec. *Terebinth.* ℔ij. D. ad Retortam, & sub initio lenissimo igne tractetur, donec Oleum uti vocant, æthereum ascenderit, postmodum illius gradus augeri potest.

LXV. Ad OLEUM BACCARUM JUNIPERI, Rec. *Baccas Juniperi* ℔viij. Contusæ D. ad Vesicam, mundentur Aqua com. adjiciatur *sal. ciner. clavell.* ℔ß. *& sal com. culin. M.* iij. sicque blandissimo igne per aliquot dies digerantur.

LXVI. Ad OLEUM CARYOPHYLLORUM *per Descensum.* Rec. *Caryophyll. arom.* ℥ij. sicque s. a fiat. destillatio per descensum.

LXVII. Ad SPIRITUM PANIS, Rec. *Panis exsiccat. s. q.* destilletur igne aperto, postmodum l. a. rectificetur.

LXVIII. Ad SPIRITUM URINOSUM SEM. SINAPI, Rec. *Sem. Sinapi* ℔j. destilletur ex Retorta igne aperto, postmodum rectificetur.

LXIX. Ad SAL VOLATILE FULIGINIS, Rec. *Fulig. ſplendeſc. q. ſ.* Det. ad retortam vitream & deſtilletur igne arenæ, poſtmodum per figulinam igne aperto.

LXX. Ad SPIRITUM SALIS ARMONIACI *cum Cineribus clavellatis*, Rec. *Sal. Armon. Ciner. clavell. aa.* ℔j. contund. ſeorſim, poſtmodum miſc. probè invicem, ind. Retort. ſeu Cucurb. & ſic deſtilletur igne arenæ, aquæ quantitas augeri poteſt, alias enim ſal fixius adhæret alembico vitreo.

LXXI. Ad SPIR. SALIS ARMON. *cum Calce viva*, Rec. *Sal. armoniaci, Calc. vivæ aa.* ℔*j. aq. com. ſeq.* proceditur uti in antec. prodiit ſpir. ignei quaſi ſaporis & ſummè penetrans.

LXXII. Ad SPIR. SAL. ARMON. CEPHALICUM, ℞. *Sem. Cubeb. Cardam. aa.* ℥*iij. Herb. roriſm flor. aa* ʒ*ij. rad. ireos* ʒ*iij. Cinam.* ʒ*vj. ſal. armon.* ℥*ij. Calc. viv.* ℥*vj. aq.* ℥*x.* M. vid. Coll. Chym. ſ. l.

LXXII. Ad SPIR. SAL. ARMON. ANTISCORBUTICUM, ℞ *Lign. ſaſſafr. Raph. ruſtic. Cort. aurant. aa.* ʒ*iij. ſem. aniſ. fœnic. croci aa.* ʒ*j.* infund. cum *ſpirit. vini cochleariſ.* ℥*vj. ſpirit. ſal. armon. cum calce viva* ℥*iij.* D. ad Cucurb. excepto ſpir. ſal. armon. & digerantur per 2. dies, poſtmodùm affund. ſpir. ſal. armoniaci, & ſic deſtilletur, alembico inditur Crocus & fit exinde coagulum.

LXXIV.

LXXIV. Ad SPIR. SAL. ARM N CARMINATIVUM, ℞. *Ol. Cal. arom. bacc juniper Cort. aurant. aa. gut viij. fœnic. anis carui, macer. aa. gut. vj. caryophyll. gut iv.* Hæ olea misceantur in mortario a do c m *sal. tart calefact.* ℥ß. post affund. *spir vini tartarisat.* ℥iij. & *spir. sal. armoniaci* ℥iß reponatu in loco parum calido, ac deinde decantetur.

LXXV. Ad SAL HYPOCHONDRIACUM, ℞. *Cap. mort spir. sal armoniaci cum ciner. clavell.* parat. elixivietur & ad Crystallisationem evaporetur. Diversarum salium figuras inter crystallisandum exhibuit: tertiâ vice crystallisatum sal dadit cubicum candidum.

LXXVI. Ad SPIR. SAL. VOLAT. & OLEUM SUCCINI, ℞. *Succini flavesc.* ℔iß. D. ad Retort. igneque aperto destilletur.

LXXVI. ITEM SECUNDUM L. EMERI, Rec. *Succini flavesc.* ℔j. D. ad Cucurb. alembico munitum sicque igneatenæ in fine fortissimo tractetur, accepimus Ol. clarè flavescens & tantillum spirit. Ex hujus remanentia mixta cum sal. decrepit. mediante retort. vitrea eliciimus Oleum ex nigredine flavescens.

LXXVIII. Ad FLORES SAL. ARMONIACI, ℞. *Sal Armon. salis decrepit. aa.* ℥iij. M. D. ad retortam vitream igne arenæ committendam (magnam ignis torturam requirit) sed sic vix aliquot gutto prodiere. Ad vapores aquæ affusio-

affusionem necessariam esse ex hoc probabile sit.

LXXIX. Ad SPIRIT. ARMONIACI SUCCINAT. ℞. *Calc. vivæ* ℔j. *Sal armoniaci* ℥iv. *succin.* ℥j. M. citissimè & D. ad Retortam vitream.

LXXX. Ad SPIR. SAL. SUCCINI, ℞. *Liq. ab Oleo separat.* D. ad Cucurb. alembico munitam, quia multum aquæ affusum erat, ideoque lentissimo igne prius tractari debet, ne spiritus cum aqua ascendat.

LXXXI. Ad TINCTURAM SUCCINI, ℞. *Succini* ℥j. *sal. tartari* ℥iß. *Succinum* lento igne liquefiat, postmodum statim *sal tartari* calidè tritum immittatur, probè agitetur, & sic *spir. vin. tartarisat.* affund. Satis elegantem Tincturam adepti fuimus

LXXXII. ITEM, ℞. *Succini & Nitr. fixat. aa. s. q.* affund. his aliquid *Aq pro Nitr.* solutione sufficientis & ad siccitatem evaporatum *spirit. vini tartarisat. s. q.* impraegnetur: Tincturam satis intensi coloris inde conspeximus.

LXXXIII. ITEM, ℞. *Succini* ℥j *Flor. sal. armoniaci* ℥ij. M. & affuso *spir. vini tartaris* in digest. relinquatur.

LXXXIV. Ad EXTRACT. OPII cum SALE TARTARI, ℞ *Opii al quantum tosti* ℥ß. *Sal. tartar* ℥j. *Spir. vini tartarisat* ℥iij. Duo priora probè inter se misc. in mortario calido affund. dictus Spir. vini, quod Spir. vini nolecat solvere, solvebat aq. communis.

LXXXV.

LXXXV. Ad EXTRACT. OPII cum AQUA, ℞. *Opii* ℥ij. *Aq. pluv. destillata s. q.* M. & repon. in digest.

LXXXVI. Ad MYRRHÆ SOLUTIONEM VERAM, Rec. *Myrrh. Sal. tartar. q. s.* invicem probè mixta in sacculo loco humido suspendatur, eique vasculum quoddam supponatur.

LXXXVII. Ad ELIXIR. PROPR. COMMUN. Rec. *Myrrhæ* ℥j. *Aloës Croc. or. opt. aa.* ʒvj. *spir. vitrioli* ℥j. *spir. Vini tartarisat. s. q.* hæc servari possunt in digest. donec inde vis tota extracta fuerit, hinc decantetur, proque usu servetur.

LXXXVIII. Ad ELIX. PROPR. cum ALCALI, Rec. *Myrrh.* ℥iß. *Aloës Croc. or. aa.* ℥j. & ʒj. Indantur vasi cuipiam amplo v. g. urinali affund. s. q. *solut. Sal. tartari*, postmodum prope fornacem lente particulæ æqueæ evocentur, huicque exsiccato add. s. q. *spir. Vini tartarisat.*

LXXXIX. Ad CIRCULATUM MINUS PARACELSI, Rec. *Flor. armoniaci* ℥ß. *Spir. Vini tartarisat.* M. & repon. in digest. per 24. horas, postmodùm tamdiu hunc abstrahe, donec omne Sal. solutum fuerit. Propter accuratiorem vitri conglutinationem difficilimè ascendebat Spir. retort. non sub guttarum, sed ætherea forma prodit, exhibuit odorem allii verum.

XC. Ad EXTRACT. OPII cum CALCE VIVA, ℞. *Opii*

℞. *Opii* ℥j. *decoct. Calc. viv. q. s.* servetur in loco calido, donec Lixivium potiorem portionem extraxerit quo facto evaporetur ad mellis consistentiam: Post omni modam extractionem remansere *Cap. mort.* ʒj. & ℈ij. Ultimo extracto addantur *Croci or.* ʒij. *Cochinel.* ʒj. *Nuc. mosch.* ʒß. probè pulverisata M. sicque extract. hoc ad usum reponatur.

XCI. Ad SPIRITUM, SAL. VOLATIL. & OL. CANTHARID. ℞. *Canthariid. ventr.* ℥ivß. D. ad Retortam vitream arenæ imponend. prodibit liquor in principio albicans, post Sal volatile lat. recipientis ad formam alarum vespertilionum, infundo v. & circa collum ad instar flor. Sambuc. Hispanici apparebat.

XCII. ITEM, Rec. *Canthar. Capit. ped.* & *alar.* ℥iß Detur ad Retortam vitream. Prodibit Liquor in principio candicans, post Sal volatile recipienti adhærescens in forma striarum obliquarum & id Ol. Interim hic Liquor præ illo nullo modo differebat.

XCIII. Ad TINCTURAM CANTHARIDUM, Rec. *Cantharid. ventr. q. s.* affud. *spir. Vir. aris fortißimus*, sicque extrahitur Tinctura flava, Tinctura hæc magis flava apparebat quàm subsequens.

XCIV. ITEM. ℞. *Cantharid. cap. ped. alarum quantum sufficit*, affund. *Spiritus Nitri fortißimus.* Tinctura ejusdem fermè coloris cum superiore evadebat.

XCV.

XCV. Ad Tincturam Viperarum, ℞. *Viperarum grosse contus. s q.* affund. *spir. Vir. æris q. s.* repon. in digest.

XCVI. Item, Rec. *Viperarum große contus. s. q.* affund. *Tinct. tart. Vigani s. q.*

XCVII. Item, Rec. *Spirit. Vini, flor. armoniaci acuat. s. q. Viperis große* contusis affundatur.

XCVIII. Ad Spirit. Sal. Volatil. & Ol. Corn. Cervi, ℞. *Corn. Cerv.* ℔viij. interim Retort. sigulin. recipiente sat amplo & bene munito dotatæ, sicque in principio lenissimo igne tractetur, ubi prodit primò Sal volatile, post phlegma & Spir. ac tandem Ol.

XCIX. Item, Rectificatio horum Liquorum sic institui potest. Remoto nempe Sal. volatili in forma sicca tractetur, quo facto prodit Spir. summè volatilis, Sal volatile, tandem Ol. & Spir.: est hic modus sat laudabilis.

C. Ad Corn. Cervi Philosoph. Calcin. Rec. *Corn. Cerv. s. q.* injiciatur Aq. commun. in vesica contentæ in alembico aliquot frustula suspendantur, sicque annexo recipiente aqu. destilletur, quo facto aqua destillata & in vesica remanens destilletur usque ad Gelatinæ apparentiam.

CI. Ad Corn. Cerv. cum Calce Viva Calcinat. ℞. *Cornu Cervi, Calc. viva aa s. q. F. S. S S.*

F. S. S. S. & *aqu. commun. s. q.* affund. Res non unâ vice succedit.

CII. RECTIFICATIO SAL. VOLAT. & SPIRIT. CORNI CERVI *simul*. Commiscentur probè *Sal. volat.* & *Spir.* cum *Cap. mort.* proprio, adeo ut hoc penitus siccum appareat, qui facto indatur cucurb. alembic munitæ & cujus orificium charta bibula simpl. obturatum. sicque igne arenæ evocentur, tunc fieri solet, ut particulæ oleosæ alembicum & chartam obstantem non ascendant, sed hisce postmodùm descendendum, adeoque tantùm Sal volatile & Spir. chartam transeunt. Observavimus tandem puasdam oleosas particulàs chartam transisse.

CIII. Ad SPIRITUM URINÆ, Rec. *Urinæ ferment. q. s.* D. ad cucurb. sicque ex arena destilletur.

CIV. ITEM, Rec. *Urinæ recent.* ad mellaginis consistentiam evaporatæ, q. s. includatur Cucurbitul. seu Retort. ignemque arenæ experiantur. In larga quantitate Sal volatile accepimus.

CV. Ad TINCTURAM MYRRH. Rec. *Myrrh. sec. Vigan. solutæ q. s.* affund. *Spir. Vini tartarisat. s. q.* & repon. in digest. Extraxit Tincturam sat rubicundam.

CVI. Ad BUTYRUM ANTIMONII, ℞. *Antimonii pulveris. Mercurii sublim in mortario lapideo triti aa.* ℔j. probè misc. D. ad Retort. brevioris & amplioris colli, igne arenæ gradus successivè augeatur, ac postremò undique carbon. circumponatur.

CVII. ITEM, ℞. *Antimonii pulverisat. Vitrioli ad albed. calcin. sal. decrepit. aa.* ℔ß. M. accuratissimè. D. ad Retortam præced. similem & eadem ratione sicut in præced. factum tractetur.

CVIII. Ad MERCURIUM VITÆ, ℞. *Butyr. antimonii q. v.* huic affund. *Aq. comm.* quæ lactescit, dacantetur in aliud vas, tunc particulæ antimoniales fundum petunt, Salia ab affusa aqua solvuntur, hocque toties repetatur, donec Aqua non amplius saporem notabilem præ se ferat. Malè Mercur. vitæ appellatur, quia de hoc nihil participat, nam progeniei est antimonialis.

CIX. Ad BEZOARDICUM MINERALE, Rec. *Butyr. antimonii q. s.* affund. *spir. Nitri* tam diu, donec ebullitio & effervescentia maximé fumans cesseat. *spir. Nitri* abstrahatur, iterumq; affund. ac iterum abstrahatur, & hoc fieri enim debet tértiâ vice. Quod abstractum dicitur *spir. Bezoar. Vitr.* ☉. solvens & nihil aliud est quàm aquā regia. Per horæ unius spatium postmodùm in igne detineatur, quo facto Spiritus vini super illud accendatur. iterùm candefiet, & pro usu servetur.

CX. Ad REGUL. ANTIMONII MARTIALEM, ℞. *Clavorum solearum equin.* ℥iiij quibus dum candent, adduntur *Antimonii* ℥viij. aut potius *Antimonio liquefacto* injiciatur ferrum, quod mox ab illo devoratur ac liquescit. His adddatur *Nitr. & Tartar. aa.* ℥j. hæc massa fluat per horæ quadrantem in igne, donec non amplius scintillet. ℣. Regulus. Minus stellatus primâ vice apparuit hic Regulus. Accepimus hujus ℥v.

CXI. Ad REGULUM ANTIMONII RUBR. ℞. *Antimonii crud. Nitr. Sal. decrepit. aa.* ℥iij. quæ pulverisata misc. & pervices immittuntunr crucibulo, semper prioris portionis fluorem expectando, hinc tegatur & ignis augeatur, ut materia in fluore per horam

maneat,

maneat. Accepimus Regulum ab aliis minus differentem.

CXII. Ad HEPAR ANTIMONII seu CROCUM METALLORUM, ℞. *Antimonii crudi, Nitri aa. part. æqual.* M. & in vasculo quopiam ferreo carbone candente accendantur. Accepimus Crocum metall. hepatici coloris. His peractis probe in mortario ille teratur, aqua comm. edulcoretur, quod remanet omne Crocus Metallorum est.

CXIII. Ad SULPHUR. AURAT. ANTIMONII, ℞. *Aquam ab hepate Antimonii decantatam, quæ vel sponte particulas sulphureas Antimonii dimittit, vel cum Aceto præcipitatur*, si per noctem steterit, filtretur. Accepimus Sulphur sat egregium.

CXIV. Ad TINCTURAM VENER. *sec. Auctor. Rec. Virid. æris* ℥ij. *Sal. armoniaci* ℥j. pulverisata M. ex Retort. sublimentur, *Floribus sublim. spir. vini tartarisatus* affunditur.

CXV. Ad TINCTUR. VENER. HELVETICAM, Rec. *Vitrioli Vener.* ℥j *Sal armoniaci* ℥vj. probe contusa & commixta immittuntur crucibulo calefacto & statim ac materia deliquescit, spatula ligneâ agitetur, usque dum fluida plane evaserit, & colorem ex atro viridem induerit. Quo facto removeatur ab igne, aliquandiu adhuc illam agitando, donec refrigescat, ubi pulverisatæ affundatur *Spir. Vini* mediocriter tantùm rectificati quantum sufficit, & in loco calido digerantur. Accepimus Tincturam ex virid. albescentem.

CXVI. Ad ANTIMON. DIAPHORET. Rec. *Reguli antimonii* ℥viij. *Nitri depurat.* ℔ij. M. cochleatim materia crucibulo candenti indatur & per horam dimidiam in igne detineatur. Quo facto materia hæc

cum Aqua communi solvitur, filtratur, & quod in filtro manet, pro usu servatur; aqua filtrata, si iterum acet. destillat. præcipitetur, obtinetur Antimon. diaphoret. subtilius. Ex Antimon. crud. candidius adipiscimur hoc medicamentum.

CXVII. Ad LIQUOR COERUL. è CAP. MORT. *seu remanentia* Tinctur. *Vitrioli Veneris*: Rec. *Remanentiam Tinct. Vitrioli Ven.* ℥ij. *Calc. vivæ* ℥j. *misc.* D. ad Retortam vitream, igneq; arenæ tradatur, post admixtionem calcis vivæ massa fiebat cœrulea, Liquor haud cœruleus prodibat.

CXVIII. Ad *Examinationem ponderis adaucti Calcin* REGUL. ANTIMONII, Rec. *antimonii simpl.* ℥j. ʒvij *&* ℈ij huic accedere debet ʒj. *gr. viv. xv.* Crucibulum ponderavit ℥ixß. & ʒiij. *Crucib. & Reg. antimonii* simul ponderarunt ℥xiß. ʒij. *&* ℈ij.

CXIX. Ad VITRUM SATURN. Rec. *Minii* ℥ß. *&* ʒij. *Silic. pulverisat.* ℥iß. M. D. ad crucibulum & fortissimo igne torqueatur. Prius effusum erat viride, posterius ex flavedine viride.

CXX. Ad MERCUR. PRÆCIPITAT. Rec. *Mercur. viv. Aq. fort. aa. q. s.* confund. & repon. in digest. Mercurius solutus inditur Retort. vitr. igni arenæ, hæc secundâ vice fieri debet. Remanet dein massa alba. Hæc massa crucibulo candenti iterum committitur, & aliquantum in igne detinetur.

CXXI. ITEM, Rec. *Mercur. viv. Ol. vitriol. aa. q. s.* confund. ambo & in digest. repon. solutus Mercur. ex Retorta vitrea igne arenæ abstrahitur, remanente in fundo massa candida, quæ aqua imbuta flavescit constituitq; Turpethum Minerale: aqua filtrata Ol. Tartar. p. d. præcipitata constituit Mercur. præcipit. aurei coloris.

CXXII.

CXXII. Ad MERCURIUM PRÆCIPITAT. ALBUM, Rec. *Solut. Mercur. cum aq. fort. fact. q. v.* præcipitetur cum solut. salis communis, tunc in momento pulvis albicans fundum petit, edulcorandus.

CXXIII. Ad MERCURIUM REVIVICATUM, Rec. *Cinnabar. artificial* ℔j. *Calc viv.* ℔j. *Limat. martis* ℔ß. Probè misc. cum tantillo Acet. destill. irrorentur, igniq; aperto committantur. Accepimus Mercurii currentis ℥viij.

CXXIV. Ad MERCUR. SUBLIMAT. CORROSIV. Rec. *Vitrioli ad flaved. calcinat. Sal. decrepit. aa.* ℥viij. *Mercur. viv.* ℥iv. *Nitr. depurat.* ℥ij. *misc.* D. ad Retortam vitream igni arenæ, primi sublimati sat candicantis erant ℥v. & ʒj.

CXXV. Ad CALOMELANON *Laz. Riverii*, Rec. *Mercur. viv.* ℥ij. *Sal decrepit.* ℥iiij. M. D. ad Retortam vitream igni arenæ. Primâ vice Mercurius in substantia collo retort. adhæsit, post secundam sublimationem cum priore sale decrep. iterum Mercur. in substantia conspiciebatur, quapropter in tertia novi sal. decrep. ℥ij priorem removendo, addidimus. In quarta iterum miscuimus Sal. decrep. ℥ij. tertia ferè pars in forma sublimati ascendit. Quinta sublimatione iterum addidimus Sal. decrepit. ℥ij. In hac ejusdem formæ cum antecedent. prodiit sublimatum. Sexta vice iterum adjecimus Sal. decrep. ℥ij. Apparuit maximam partem salificatum. Septimo recepimus Sal. decrep. ℥ij. & cum priore miscuimus. In hac sublimatione tota fere substantia in forma Salis comparuit. Octavo reiteravimus sublimationem cum s. q. Sal. decrep. hoc in priori erat saliforme. Nono & decimo sublimavimus, & quod maximam partem in

in Sal redactum vidimus Sublimatum hoc non est liquabile linguæ admotum, sed admodum durum & nullius fere saporis.

CXXVI. Ad SUBLIMATIONEM MERCUR. SUBLIMAT. *secundam. Rec. Mercur. sublim. corrosiv. primâ sublimati, Vitrioli ad flaved. calcin. decrepit. aa.* ℥v. & ʒj. *misc.* D. ad Retortam igni arenæ: egregium iterum adepti fuimus sublimatum.

CXXVII. Ad CROCUM MART *Aperitiv. Rec. Limat. mart. q. v* affund. *Spir. sal. armoniaci cum Calc. viva parat.* tantum, quantum pro illius irroratione sufficere potest, reponatur in cellam, vitrum charta bibula muniendo.

CXXVIII. ITEM, *Rec. Limat. mart. Sulph. aa.* ℥iij. Probè invicem contritis in vase terreo affund. Aq. commun. ut instar pultis apparet, per bihorium seponatur, ubi materia incalescit, postmodum super ignem per 8. horas calcinetur.

CXXIX. ITEM, *Rec. Ferrum* in igne probe candefactum magdaleone sulphuris teratur, hinc particulæ ferri sulphuri combinatæ decidunt in vas aqu. repletum suppositum, quæ postmodum contunduntur proque usu reservantur.

CXXX. ITEM, ℞. *Limat. mart.* ℥j. *Sulphur.* ℥iß. Invicem commixta indantur crucibulo, & per aliquot horas calcinentur.

CXXXI. ITEM, ℞. *Limat. mart.* candefactam extingue urinâ recenti, postmodum per 24. horas igne aperto torqueatur.

CXXXII. Ad MERCUR. SUBLIM. *Sublimationem tertiam,* ℞. *Mercur. subl. corros. secundâ vice sublimati* ℥ivß. *Vitrioli calcin. Sal. decrep. aa.* ℥ij.

M. &

M. & ficut antea tract. &c. Flavedinem contrahit ob ignis violentiorem torturam.

CXXXIII. Ad FLOR. SAL. ARMON. MARTIALES, ℞. *Sal. armoniaci. Limat. mart aa.* ℥ij. M. D. ad Retortam vitream igni arenæ: fapor. fublimati cum fubfequente eft idem, fed hujus *Cap. m.* linguam ad inftar ferri candentis afficere folet, linquendo faporem ex dulci adftringentem, color ex nigredine flavus.

CXXXIV. ITEM, ℞. *Sal. armoniaci* ℥ij. *Croc. mart. aperitiv.* ℥iij. *mifc.* D. ad Retortam vitream igni arenæ: faporem hoc fublimatũ habebat fat penetrantem, colorem verò ex flavedine rubefcentem, Cap. mort. autem faporem tantum adftringentẽ præbebat.

CXXXV. Ad VINUM MARTIAL. ℞. *Limat. mart.* ℥ij. *Tartar. crud.* ℥j. M. D. ad phialam, affund. Vini Rhenan. f. q. & repon. in lenem calorem. Secundâ vice addidimus adhuc Vini Rhenani opt. ℔j. & Tart. crud ℥ij. Poft quatriduanam digeftionem liquorẽm abftraxim9, in principio prodibat Sp. fub ftriarũ forma.

CXXXVI. ITEM, ℞. *Limat. mart. candefactum*, hancque tribus vicibus fec. Vigan. Vino Rhenano opt. extringue, ficque vires martis acquifiverit.

CXXXVII. Ad FLOR. SAL. ARMON. MARTIAL. *fecundâ vice fublimatos*, ℞. *Sublim. Flor. fal. armon. martial.* eorumque *Cap. mort.* exactè mifce, iterumq; uti alias fublima. In priore fublimatione flores erant rubicundiores, Cap. mort. inftar mineræ comparebat fcintillans, poft biduũ aëri frigid. expofitum variegatis flavis nempe & viridefcentibus fuperbebat particulis.

CXXXVIII. Ad CUPRUM AURATUM. ℞. *Auripigm.* ℔iij. hoc per 24. dies & vices liquefactum femper aceto extinguebatur. Vid. Auth. circa fin.

CXXXIX. Ad CUPRUM ALBUM Num. I. ℞. *Veneris*

neris ℥ij *Arsen* ℥j. fluant in igne, dum in fluore, adjice *Lapid. calamin alb.* ʒj. postmodum *Mercur subl* ʒß. ac tandem *Nitr.* ʒj. & baculo agitentur. Schm. cf p. 163 His per 5. horas integras in igne longè violentissimo detentis, nihil certè fluoris apparebat.

CXL. IDEM, Num. II. ℞. *Lam Veneris*, quæ macerentur in aqua aluminis per 3 horas, hinc incisæ stratificantur cum *Sal. armon. p j Arsen p ij.* muniatur tigillum, & in igne per 6. horas & ultra stet, dein igne eximebatur & nolens fluere extinguebatur in tigillo cum Oleo Tartari p. d Interim apparebat Ven. alb. quidem, sed aliquantum friabilis.

CXLI. IDEM, Num III ℞. *Ven* fluat in crucibulo, add. *pulv. ex arsen.* ʒij *Nitr & tartari aa.* ʒj & agitato. Hæc quam vis torturam ignis per 6. integras horas passa fuerit omnem tamen fluorem respuebat.

CXLII. IDEM, Num. IV. *Rec Lamell cupr.* & cementur cum Arsen. post 6. horas fluebat, relinquens Cuprum quoad exteriora rubescens, sed interiora erant albescentia.

CXLIII. Ad FLOR. JOVIAL *Rec. Limat Jovis & Nitri, aa. part æq* & ex retort. sublim. flos post bihorium cum impetu exiliebat, relictis in recipiente & collo retortæ ff. albis.

CXLIV. Ad SPIR. SANGUINIS HUMANI: *Rec. Sang. human.* per 6. hebdomadas cum Spiritu vini infus. & in arena ad mellag. consistentiam abstrahe. quo facto destilletur ex Retorta.

CXLV. Ad TINCTUR. FLOR. SAL. ARMON. *cum Croco Martis aperitiv parat.* Rec. *flor armoniaci mart. cum Croco parat. s. q.* affund *Spir. tartarisat q. v.* accepimus Tincturam flavescentem ac saporis adstringentis.

CXLVI. IDEM: *Rec. Flor. sal. armon. cum Limat mart. parat. s. q.* affund. Spir. Vini tartarisat. Apparuit Tinctura flava ac saporis gratissimi.

FINIS PROCESS. CHYMIC.

